

I. N. J.

BIBLIOTHECÆ UPSALIENSIS HISTORIA,

AUCTORE

OLAVO O. CELSIO.

VICE-BIBL. UPS.

REGIÆ ACADEMIÆ UPS.

IMPENSIS.



UPSALIÆ
MDCCXLV.

ACADEMIÆ. UPSALIENSIS.

MAGNIFICO.

DOMINO. RECTORI.

UT. ET.

MAXIME. REVERENDIS.

NOBILISSIMIS.

EXPERIENTISSIMIS.

CONSULTISSIMIS.

AMPLISSIMIS. DOMINIS.

AD. EANDEM. ACADEMIAM.

PROFESSORIBUS.

ERUDITIONE. ET. FAMA.

LONGE. CELEBERRIMIS.

PROMOTORIBUS.

ET. PATRONIS.

ÆTERNUM. SUSPICIENDIS.

HOC.

QUALECUNQUE. MUNUS.

IN. DEVOTI. ANIMI.

TESSERAM.

PIA. MENTE.

OFFERT.

AUCTOR.

§. I.

GUSTAVUS ADOLPHUS, Rex & toga & ſago MAGNUS, muſas a pueris coluit, atq; Duce JOHANNE SKYTTIO, literatiſſimo viro, eos in ſtudiis fecit progreſſus, ut gloria ex illis nata, famam certe æquaverit, quam arma ipſi pepererunt. Namque, præter ſcientias militi tractandas, quas ſibi familiariſſimas reddidit, ita in omne diſciplinarum genus juvenis exſpatiatus eſt, ut ſuorum & Rex & doctor poſtmodum exſiſteret. Hujus Auguſtiſſimi Regis auſpiciis poſita ſunt fundamenta Bibliothecæ Upſalienſis, anno ſupra milleſimum ſexcenteſimo viceſimo

primo. 1) In cujus facti perennem memoriam, marmoream effigiem GUSTAVI ADOLPHI, in Septentrionali Bibliothecæ atrio, posuit Rex noster Clementissimus FRIDERICUS, cui hæc incisa leguntur verba:

REGI.
INVICTISSIMO.
GUSTAVO.
ADOLPHO. MAGNO.
ANTE. C. ANNOS.
FUNDATORI.
DONO.
AUGUSTISSIMI. REGIS.
FRIDERICI. I.
ET. CURA.
ACADEMIÆ. CANCELLARII.
GUST. CRONHIELM.
POS.
MDCCXXXI.

Non-

1) Lit. donat. A. 1621. d. 7. Julii datæ sunt.

Nonnulli, sed falso, CHRISTINÆ hunc honorem deferunt. a) Ille Academiam Upsaliensem, usque ab avi tempore desolatam, a se autem lautissimis stipendiis optimisque privilegiis exornatam, SKYTTIO, veteri præceptore, & AXELIO OXENSTIERNA, monentibus, etiam hoc thesauro auxit, propriam librorum apparatum Upsaliam transmittendo. "Dedit Rex, ait BAAZIUS, patriæ Academiæ omnem avitam Bibliothecam, a piis doctisque Regibus Sueciæ, suis antecessoribus, proximo seculo collectam, ex hæreditate [illegible] relictam, jamque [illegible] numero haud exiguam [illegible] totam in Archivum Academiæ transportari curavit." 3) Hujus Biblio-

A 2 the-

2) GUNDL. comment in HEUM. Hist. Lit. p. 569. BURCH. STRUVII Introd. in Hist. Lit. p. 123. LOMEJ. de Bibl. in coll. Maderiana p. 225.

3) BAAZII Invent. Hist. Eccl. Sv. p. 684.

thecæ quæ conditio fuerit, priusquam Upsaliam transmigraret, ignoramus. Erat enim hæc ab ea, quæ jam Stockholmiæ floret, longe diversa. A GUSTAVO primo, doctissimo Rege, inchoatam fuisse jure suspicamur: cum ante illius tempora, exigua plane, aut nulla, in patria haberetur studiorum ratio. Ille autem instituto cum LUTHERO, MELANCHTHONE aliisq;, quos Germania pepererat, viris eruditis, literarum commercio, id omni studio egit, ut libri utiles & nuper editi ad se transmitterentur. Quam paternam supellectilem, quin ERICUS, Gustavi filius, plurimis auxerit, nullum est dubium. Erat enim ille, a GEORGIO NORMANNO, quem LUTHERUS in Sveciam misit, & DIONYSIO BEURREO, plurimis scientiis ita instructus, ut majorem certe a literis quam a sceptro gloriam reportaverit. Ejus ad MELANCHTHONEM literas, cum

non

noſtrum inſtitutum aliqua ratione reſpiciunt, integras, ex illuſtris PALMSKÖLDII collectionibus, adferre voluimus.

ERICUS Dei gratia Svecorum" Gothorum vandalorumq; Rex" deſignatus & hæreditarius &c." Favore noſtro & ſingulari clementia præmiſſis &c. accepimus tuum chronicum, vir Sapientiſſime," pro quo maximas tibi gratias agimus. Id enim eo nobis fuit gratius, quo ejusmodi ſcriptum utilius," & magis neceſſarium omnibus hominibus & præcipue Principibus" & rerum humanarum Rectoribus" eſſe cenſemus. Et cum Hiſtoriam" conſcribere, & potiſſimum talem," quæ luculentiſſima temporum rerum & cauſarum ſerie, alias omneis," & Eccleſiaſticas & prophanas, facundiſſimo laconiſmo, complectetur, ſummæ ſit ſapientiæ, non dubium eſt quin omnibus bonis ſit gratiſſimum abs te, viro rerum divi-"

narum

„narum & humanarum peritiſſimo, „hunc tam honeſtum & neceſſarium „laborem fuiſſe ſuſceptum. Sed tan- „tum rerum præcipuarum a condito „orbe geſtarum, ad umbilicum uſque „graphice quidem deductam imagi- „nem, hactenus nobis depinxiſti. „Quæ etſi parteis tanto venuſtiores „reliquis continéat, quanto ἡγεμονι- „κὸν ϰ δυναμικὸν (verbis enim tuis li- „benter utor,) τὰ [illegible] præ- „ſtant, attamen quæ deſunt quaſi cru- „ra & pedes ad totius ſimulacri per- „fectionem, ea tamen ſperamus, „haud contemnes, verum omnibus „ſuis numeris abſolutam rerum ge- „ſtarum memoriam, ab oblivione vin- „dicabis. In qua veluti poſtremo a- „ctu, non veremur tibi commendare „noſtros Gothos, quandoquidem eo- „rum originis honeſtam jam feceris „mentionem, & ipſi, ut melius no- „ſti, res magnas, tota fere Europa „& Africa geſſerunt, quas abs te fi- „deliter annotandas ſuo loco, non diffi-

diffidimus. Imprimis enim verita-"
tem in historia probamus, ut sine"
qua fabellæ & deliria describi vi-"
dentur. Quare, etsi studium & di-"
ligentiam boni & docti viri SLEI-"
DANI, in texenda nostri temporis"
historia, soleamus commendare, ta-"
men quod tam falso de rebus hic"
gestis a potentissimo & seren. Rege"
chariss. Domino & Patre nostro, &"
de mutationis imperii causis, scri-"
pserit, στοργὴ illa nobis innata &"
erga Sereniss. Patrem Regem, &"
erga char. patriam facit, ut non"
parum doleamus. Atque id qui-"
dem gravius ferremus, si nobis"
bona spes non affulgeret Deum"
veracissimum omnium rerum ve-"
ritatem patefacturum, suo loco &"
tempore, contra omnia invidorum"
& adversariorum mendacia & præ-"
judicia, nostrumque thronum, ut"
cœpit, stabiliturum, ad suam glo-"
riam & veræ Ecclesiæ defensio-"
nem. Eademque pietas nos im-"
pellit,

„pellit, vir piiſſime, ut, priusquam „his finem faciamus, abs te unice „contendamus, ut aliquem pium, „doctum & peritum medicum, pro „tua fide & prudentia, ad nos mit- „tere velis. Si dilectus nobis D. „CASPARUS PEUCERUS, gener „tuus, hanc provinciam ſuſcipere „velit, illi pollicemur nomine Se- „reniſſ. & Potent. Regis, chariſſ. „noſtri Patris, pro annuo ſtipendio „quingentos daleros, præter com- „modam habitationem, veſtimenta „ipſi & ejus famulis neceſſaria, ac „comeatum domeſticum ad alen- „dam ejus familiam. Is an velit „ad nos venire libenter abs te cer- „tiores fieri vellemus. Fatemur „quidem munus nobis abs te miſ- „ſum, dignum eſſe, ſi juſte expen- „datur, quod certatim principes o- „mneis magnis beneficiis rependant. „Atque utinam ad Dei gloriam „nunc alter Alexander extaret, qui „id, ut dignum certe nobis vide- tur,

tur, pluris faceret, quam anima-“
lium historiam, verum ut symbo-“
lum aliquod habeas nostri in te“
grati animi, munusculum ad te“
mittendum voluimus, quod ut bo-“
ni consulas petimus. Agnoscimus“
enim ingenue quantum tibi debe-“
at totus orbis christianus, cujus“
in gratitudinem compensabit erga“
te cumulatissimis beneficiis Jesus“
Christus, in cujus gloriam tot con-“
tinuos tamque graveis labores sub-“
ire tibi est jucundissimum. Deus“
tuam senectutem indulgentissime“
& diutissime, ad nominis sui glo-“
riam & Ecclesiæ ædificationem con-“
servet incolumem. Vale Pater in“
Christo chariss. & nos amans tuis“
piis precibus nostra omnia Deo“
commenda. datum &c.“

Addidit his haud exiguam librorum copiam JOHANNES tertius, quam per Gallum quendam nomine LA PORTEUM A. 1586. sibi

ſibi adquiſiverat, obſervante, ex vetuſtis regii Senatus indicibus, PALMSKÖLDIO. Loquitur de hac Bibliotheca MESSENIUS in Præfatione ad tomum Scondiæ decimum quintum. „Noſtra, ait, Me„moria, glorioſiſſimus Rex JOHAN„NES, maximi precii & frequentiæ „Bibliothecam emerat, quam inau„dio magnopere adauctam, ex cœ„nobio Stockholmiæ, in acropolim, „non abſque encomio, nuper trans„latam eſſe. Eſt certe hæc eadem, quam *nuper emtam*, Regem hunc, Jeſuitis aperuiſſe, idem Auctor alio loco 4) aſſerit, & ad quam Bibliothecarius quondam fuit, ſummus ſui temporis polyhiſtor, JOHANNES THOMÆ BUREUS 5).

§. II.

Fundatam hunc in modum Bibliothecam Upſalienſem, auxit Rex æterna

4) MESSEN. Sc. III. T. VIII. p. 33.
5) THUN in vita Palmſk.

na dignus memoria, codicibus tum typis tum calamo descriptis, qui in monasteriis, hinc inde per Regnum, latitantes, vel ævi inclementiam, vel papicolarum rapaces manus effugerant. Nam licet monastico tempore parum tam eruditionis quam librorum in patria deprehenderetur, erigebantur tamen in cœnobiis & Ecclesiis, præcipue cathedralibus, Bibliothecæ, repletæ Raimundi Summulis, Bibliis Scholasticis, Summis Angelicis aliisque speculis historialibus & moralibus, nostra attentione vix dignis, nisi eadem sua commendaret antiquitas. Nec Sueciæ prin-" cipes huic indormierunt negotio," ait MESSENIUS, dum citata præfatione de Bibliothecis loquitur, prout testantur plurima in Regno" quondam cœnobia, quæ instructis-" simas possederunt Bibliothecas, sic-" ut & Ecclesiæ cathedrales, in qui-" bus munificentia Regum, Ducum," & Præsulum frequentissimæ fue-" runt

„runt comparatæ. Quarum interi„tum, qui religionis novatoribus „imputatur, magnopere lugent, no„ſtro ævo, viri doctiores, tam theolo„gi, quam chronographi. Præſer„tim porro deplorant librarii Va„ſtationem Alvaſtrenſis, Varnhe„menſis, Stockholmenſis & Visby„enſis, quod binis codicum opti„morum vetuſtiſſimorumque milli„bus abundabat. 6) De Visbyenſi illa Bibliotheca toto Septentrione quondam notiſſima, quæ in cœnobio Divi Benedicti collecta fuerat, ut ſuo adhuc tempore ſuperſtite loquitur COCHLÆUS 7). Item SEBASTIANUS MUNSTERUS 8) & JACOBUS ZIEGLERUS in Scondia 9). Ut mirum certe videri poſſit, nihil præter ejus famam ad VASTOVIUM perveniſſe, parum tem-

6) MESS. l. c.
7) in Vita Theodor. ed. Upſ. p. 3.
8) MUNST. Cosm. L. IV. p.m.832.
9) p. m. 495.

temporis post hos viventem, qui, in præfatione ad vitem Aquiloniam, hujus Bibliothecæ, ut plures ante annos destructæ, mentionem injicit. Periit nimirum temporibus illis, quibus Borussi, Lubecenses, Dani assiduis incursionibus, Visbyensem civitatem depopularentur. Vazstenenses monachos haud exiguum librorum numerum in usus suos undecunque per orbem Europæum conquisivisse, indicat hujus Bibliothecæ particula, quæ adhuc apud nos remanet. Certe THORIRUS ANDREÆ, Vazstenensis cœnobita, & diarii per Rever. BENZELIUM editi, auctor, illam ex proprio auxit; ut libros tempore conciliorum Constantiensis & Basileensis, vel exscriptos vel emtos, taceamus *).

Eodem

*) Sequentem indicem librorum Vazstenensium ex veteri codice B. Ups. exscripsi.

Nota quod istos libros emi ego JOHANNES

Eodem etiam ſtudio incenſos fuiſſe legimus Sigtunenſes monachos, quorum Bibliothecam his deſcribit Rev. Gothoburgenſium Præſul, GEORGIUS

NES HILDEBRANDI ex parte monaſterii b. Mar. Virg. & S. Brig. in Watztenum Pariſiis, primo unam bibliam in duobus Voluminibus pro quinquaginta ſcutatis.
Libros de 7. dois in duobus Voll.
Auguſtinum de civitate Dei.
Gloſſam ordinariam ſuper Pſalterium & ſuper Yſaiam & Jeremiam duobus Voll.
Quatuor Evangeliſtas cum Gloſſa ordinaria in uno volumine. XII. Prophetas in Uno Volumine.
Libros ſapientiæ in uno Volum.
Samuelem Raymundi.
Unum Pſalterium.
Item facio ſcribere unum librum Pariſiis nomine: Vita Jeſu Chriſti.
Pro Auguſtino ſuper Pſalterium.
Item quatuor Scutatos pro libris deportandis de Pariſiis verſus Heryncſlot.
Item pro vitis Philoſ. unum Nobilum.
Item Gloſſam ordinariam ſuper V. lib. Moyſi & proprietates rerum.

GIUS WALLINUS 10). Erat sane" hæc, si recentiora conferas, exigua" & simplex, at pretiosa tamen ob" manuscriptos codices, utilissimaque" istius ævi eruditis reputabatur. Hic ne periret thesaurus, vincula fer-" rea, quibus singuli fere libri suis" alligati erant loculis; prædonum" manus otiosas reddidere. Nihilo" tamen minus justo tempore transie-" runt in Bibliothecam Academiæ" Upsaliensis, ceu monachatus Sig." tunensis reliquiæ, & facti naufra-" gii tabulæ, hodierno etjam die as-" servantur." Neque reticenda nobis est Franciscanorum in Grâmunke-hol-

Item pro Alphabeto narrationum, ser- monibus Bernhardi & libro - - ex- emplari.
Item pro uno Psalterio Magno pro choro,
Item unum librum continentem diversa, & incipit tractatus cordiale.
Item pro libris deducendis a Bruggis ad Hambroch.

10) Sigt. St. & Gad. p. 521.

holmensi monasterio, a multis retro annis, collecta Bibliotheca, quam Jesuitæ, qui JOHANNIS tertii Regis tempore, Ecclesiam & Helicona nostrum infestabant, spoliarunt. Notiores sunt, quam ut jam referantur, artes quibus papicolæ, illo ævo, Evangelicæ doctrinæ, literisque insidiati sint, optimum in CATHARINA Polonica præsidium adepti 11). Illa fautrice informationis negotio in Regno præficiebantur Jesuitæ JOHANNES HERBESTUS & LAURENTIUS NICOLAI FORSERUS, *Klosterlasse* nostris dictus, qui præter Regiam, etjam hanc Bibliothecam a Rege adipiscebantur. His congestis formata est, quam viri ordinis hujus *Jesuitarum in Suecia* dixerunt. Inveniuntur libri, in Bibliotheca Upsaliensi, hoc signo notati ad marginem titularis folii: *Inscriptus catalogo Bibl. Soc. Jesu in Suetia*, ubi

11) STAN. RESCII Vita Card. HOSII p. 222.

bi expunctis vocibus *in Suetia*, ita tamen ut facile legi possint, vocabulum *Braunsberg* reposuerunt postquam, relicto Regno, Brunsbergam se clam, cum hac præda, contulissent.

§. III.

Quod si quæ inter hos, rariora antiquitatis monumenta olim exstiterint, pontificum Romanorum fraudi adscribendum est, quod amplius non inveniantur. Hi quippe veriti, ne septentrionis incolæ, a cœca barbarie, qua tum sopiebantur, aliquando, literarum ope, expergefacti, ab ipsorum sacris discederent, omnibus literarum subsidiis illos privarunt, missis Harpyis, qui publicas & privatas Sveciæ ac Gothiæ Bibliothecas spoliarent. Venit A. 1463. MARINUS DE FREGENO, a PAULO II. Pontifice missus in Sveciam, literas Papæ circumferens, ut liber aditus ad Biblio-

bliothecas in regno omnes ipsi relinqueretur. Hunc magna onustum præda ex Svecia abiisse, testatur Sclavonicum chronicon. Neque id semel fecisse, Pontifici satis fuit, quin alterum post tres & quinquaginta annos, JOHANNEM DE ZONULLEN, huc ablegaret, eodem negotio, ut quidquid librorum Marinum effugisset, in hujus incideret manus. Hic dum A. 1515. LEONIS decimi mandato instructus, totam pæne Europam peragraret, neutiquam septentrionis oblitus est; quin ad illam potius festinaret, cum suspicaretur Romana curia, veteres Gothos Romæ quondam dominos, plurima antiquitatis documenta ex Italia in Arcton secum transportasse. Quod eo minus vero est simile, quo dubium magis adhuc manet, an populi, qui Svecia egressi Italiam devastarunt, in patriam unquam redierint. Gothos præterea ad monumenta perdenda lacerandaque, quam con-

conſervanda, proniores fuiſſe, ſcribunt veterum nonnulli. Quibus tamen ita reſpondet OERNHIELMIUS in deſcriptione Sveciæ manu exarata. Si uſquam legimus, inquit, Gothicis, Longobardicisque bellis abſumtos fuiſſe viros doctos, & ſubito igne exuſtas Bibliothecas publicas privatasque, non factum eſt id ſtudio abolendi eruditionem & literas; ſed quod vel docti conatibus victoriarum viſi ſint aliquando obfuiſſe, vel quod in communi bellorum ſtrage ſervari Bibliothecæ nullo modo potuerint.

§. IV.

Sed ad Bibliothecam noſtram redeo, quæ ortum ſuum monaſticis his reliquiis, & munificentiæ GUSTAVI MAGNI, progreſſum vero victoriis ejus & poſterorum, debet. Cum GUSTAVUS in Sveeanæ libertatis & oppreſſorum Evangelicorum præſidium arma vi-

braret, ex spoliis hostium bibliothecam nostram egregie auxit. In Livonia, Riga A. 1623. occupata, & pulsis urbe Jesuitis, qui sub JOHANNE Rege sedes ibi fixerant, bibliothecam illorum Upsaliam transportari jubet. 12) Hinc Borussiam Poloniamque petiit, ac victis Warmiensibus, libros etjam ipsorum, a STANISLAO HOSIO, magnis impensis collectos, illi addidit. 13) Cui tota Brunsbergensium Jesuitarum suppellex, aliquo post tempore, accessit. Fuit vero hæc instructissima, & antiquis editionibus maxime æstimanda.

§. V.

Tandem ad Cæsaris FERDINAN-

12) Sua etjam incunabula Rigensi Bibliothecæ debet Bibl. Imper. Petrop. Nam PETRUS I. capta A. 1714. urbe quidquid librorum, nostri reliquerant olim, Petropolin misit.

13) LOUIS JACOB. des plus Belles Bibl. p. 234.

NANDI superbos ausus domandos, augustum animum convertens Rex, eo angustiarum hostem redegit, ut etjam thematum libellum, quo Imperator adhuc puer, Latina stili exercitia composuerat, illi ademerit, in Regia Stockholmiensi Bibliotheca adhuc servatum. Pares autem cum victricibus GUSTAVI armis progressus fecit Bibliotheca nostra. Namque capta Herbipoli A. 1631. Cum ingentem auri argentique prædam militibus reliquisset Rex, sibi solos reservavit libros, quos sine mora in patriam misit, Upsaliensi Bibliothecæ inserendos. 14). Erexisse JULIUM Würtzburgensium Episcopum & Franconiæ Ducem, in Marienburgensi arce, prope urbem sita, tres insignes & ornatissimas Bibliothecas, narrat ANTONIUS SANDERUS; 15) quas describit CHRISTOPHORUS MARIANUS

14) BAAZII Inv. H. E. S. p. 684.
15) Louis Jacob. l. c. 203.

in Panegyrico Julio Duci dicto: Illa, „ait, magis commendatione digna „sunt sacrorum opera ingeniorum, „quæ undecunque congessisti, Prin„ceps, in Bibliothecam tuam, non „in speciem & cultum parietum tan„tum, aut ut domus ornamentum „necessarium, sed in studium sapien„tiæ & honestissimam animi remis„sionem, inter tam ardua negotia; „Quidquid igitur optimorum Aucto„rum veterum & recentiorum, in „omni scientiarum, artium, Lingua„rum genere, consequi potuisti, id „universum diligentia sumtuq; gran„di comparasti, tanto numero, ut „etiam tectotenus loculamenta vix „ea capiant: tanta concinnitate dis„positos, ut ipsi tituli frontesque vo„luminum, literarum quoque rudes, „mirifice delectare possint: nec ces„sas quotidie de eadem uberius in„stituenda & ornanda cogitare." 16)
Horum copia tam Stockholmiæ quam
apud

16) Ed. Wirceb. 1604. 4to p. 46.

apud nos superest, quæ deauratis involucris panegyrici verba confirmat. Renovata autem est his annis Würtzburgensis Bibliotheca, cui nuper præfuit doctissimus JOANNES GEORGIUS ab ECKHARDT, qui inde egregios commentarios de rebus Franconiæ orientalis edidit.

§. VI.

Ex Oppenheimensium Jesuitarum, & Moguntini Episcopi JOHANNIS SVICARDI Bibliothecis, nonnullos etiam libros possidemus. Ab hac autem longe majora nobis sperare licuisset incrementa, nisi magna ejus pars aquis periisset, dum in Sveciam transportaretur. Asserit interea illustris PUFENDORFIUS in literis ad ULRICUM PREGIZERUM, 17) Se Stockholmiæ vidisse Archivum Moguntinum, peculiari repositorio asservatum; cujus

17) PREGIZ. Svev. & Wirtemb. Sacra.

jacturam quod fecerimus, æquo certe animo ferre possumus, quum, testimonio ejusdem, nihil admodum eximii continuerit.

§. VII.

Sed moritur GUSTAVUS, & filiam relinquit suæ virtutis æmulam. Confluebant CHRISTINÆ rogatu, in Sveciam viri magni FREINSHEMIUS, KIRSTENIUS, LOCCENIUS, SCHEFFERUS, SALMASIUS, HUETIUS, BOCHARTUS, VOSSII, HEINSII, GROTII, RAVIUS, SIMONIUS, BURDELOTIUS, NAUDÆUS, TRICHETTUS, alii. Atque cum his rarissimi libri, immo integræ Bibliothecæ, quæ, possessoribus mortuis, distractæ, magnamque partem in publicam Bibliothecam Upsaliensem translatæ sunt. Continuabatur etjam sub CHRISTINA, sperato successu, bellum a parente in Germania inceptum. Tum vero, postquam KOENINGS-

MAR-

MARCKIUS Pragam expugnasset; insignis Bibliotheca, quæ olim Jesuitarum fuerat, venit in Sveciam; &, Olomutio per TORSTENSONIUM devastato, præter ingentem rerum pretiosarum congeriem, librorum pulcerrimorum adparatus ingens ad Reginam transmissus est, referente LOCCENIO, quem inter Stockholmensem & Upsaliensem Bibliothecas illa divisit.

§. VIII.

Venit hoc tempore in Sveciam CAROLUS OGERIUS, Gallici Legati comitis d'AVAUX a Secretis, quem dum Upsaliam nostram inviseret, & cathedralem Ecclesiam, loca que celebria urbis perlustraret, Bibliothecam nec vidisse, nec in commentariis suis ejus meminisse, haud miror, nullo adhuc ordine digestam. Crevit interea in dies, longe vero majora incrementa accepisset, nisi literatissimam Reginam studium etiam

alia

alibi per Regnum erigendi Bibliothecas tenuisset. Etenim Aboensem ex proprio adparatu instituit, quam postmodum auxit munificentia Generosissimi D. STALHANSKE; ut catalogus hujus Bibliothecæ A. 1655. & 1683. in folio impressus indicat. Collegit etjam Regina Stockholmiæ, in proprios usus, amplissimam Bibliothecam, quæ, exiguo temporis intervallo, ad tantum voluminum, tam impressorum quam manuscriptorum, multitudinem crevit, ut de illa vere dixeris,

Quo primum nata est tempore ma-
gna fuit.

Namque HUETIO, dum BOCHARTO socius, in Svecia, per semiannum, versaretur, Bibliotheca hæc *numerosissima* & *optima* dicta est: „In hac, ait, literarum vastitate, nihilominus Bibliotheca Regia crescebat, & numero librorum & dignitate, qui undecunque collecti, in eam confluebant. Nam ad eos, quos inter

inter Germanicas manubias deportaverat in Sveciam GUSTAVUS ADOLPHUS Rex, accesserunt multi in sectione Bibliothecæ MAZARINIANÆ empti, tum & J. GERHARDI VOSSII Bibliotheca grandi ære de ISAACO VOSSIO redemta. His additæ fuerunt Bibliotheca PETAVIANA, tota libris antiquis Græcis & Latinis manu exaratis; Item GAULMINIANA, tota libris Ebraicis, Arabicis aliisque exoticis hujus generis conflata, quæ paulo post tamen ad GAULMINUM, immane huic pretium statuentem, rediit. Illuc quoque plurimos optimæ notæ codices intulerat ISAACUS VOSSIUS a se passim per Europam, magna diligentia, conquisitos: In his volumen græcum satis grande, antiqua manu descriptum, quo commentariorum ORIGENIS in Matthæum continebantur tomi aliquot, & ejusdem præterea tracta-

tus

„tus de oratione. Quod cum intel„lexissem venisse a VOSSIO, quæ„sivissemque deinde ex eo unde il„lud hausisset, & quod eo post me„um ex Svecia discessum esset factum, „respondit ille, raptum fuisse primo „a militibus in direptione Worma„ciensis Bibliothecæ & vili pretio co„ëmtum ad se pervenisse: atque hinc „prodiit Origenianorum editio quæ „sequentibus annis a me procurata est.„ 18) His addamus Bremensis etiam Bibliothecæ præcipua ornamenta, 19) & totam Bibliothecam Principis PETRI VOCK URSINI domini de Rosenberg, primatis Bohemici, cujus catalogi adhuc Stockholmiæ remanent. Sed nihil dolendum magis, quam quod adparatus hic tam insignis tantisque impensis conquisitus, Romam, cum Regina, dela-

18) DAN. HUETII Comment. de rebus ad seipsum p. 107.

19) REIMARI Vita FABRICII p. 226.

delatus sit. Ubi tamen postmodum ita auctus est, ut testetur MABILLONIUS, 20) vix ullam fuisse in tota Italia Bibliothecam, ad quam vel faciliorem accessum habuerint eruditi; vel ex qua magis profecerint. Hæc post dominæ fata Vaticanam intravit, ubi singulari loco posita, adhuc in perpetuam Reginæ memoriam perspicitur, atque in opere MONTEFALCONIANO, manuscriptos Europæ codices recensente, inter primas occurrit.

§. IX.

Cæterum desiderabantur adhuc in patria librariæ officinæ, unde haud parum retardabatur literarum & Bibliothecarum progressus. De quo defectu conqueritur SCHEFFERUS in præfatione ad Sveciam Literatam: Bibliopolæ, inquit, superioribus temporibus, in Svecia fuere nulli, ac ne

20) Mus. Ital. Recensitum in Act. Erud. Lips. A. 1687. p. 597.

„ne peregrini quidem huc folebant „ventitare; quod exiguum fperarent „lucrum in gente, ut perfuafum habuere, bellis tantum dedita, nec „curante libros.„ Et in literis ad HEINSIUM. 21) „In mundi quodam angulo hic degimus. Libros „ad nos adferre folent paucos, & „ex iis ipfis nobis utiles pauciffimos.“ Anno 1577. Stockholmiæ duos fuiffe bibliopolas, ex literis Regis JOHANNIS tertii difcimus 22) quibus JOHANNI HENRICI & NICOLAO JOHANNIS mandat, ut hæreticos libros, quos JOHANNES WITTENBERG bibliopola in Regnum, Rege infcio, intulerat, nullo foluto pretio ipfi adimerent: Alterum vero, qui Archiepifcopi LAURENTII NERICIENSIS Juffu, utiliffimis libris fuam inftruxerat officinam, de Regis gratia face-

rent

21) BURM. SYLL. Ep. T. V. p. 3.
22) Dat. Upf. d. 1. Oct. 1577. in Coll. PALMSK.

rent certiorem, Præter hos Magistrum PETRUM STABYENSEM Anno 1616. referente PALMSKÖLDIO, privilegio Upsaliæ librariam erigendi, instruxit GUSTAVUS ADOLPHUS. Sed an ultra propositum res processerit, dubito. Certe ævo pontificiis Calvinianisque hæresibus inquinato, nulla scripta, nisi Svethica, quæ illas lites respiciebant, æstimabantur. Ea oriebantur tem-" pora, ait laudatus SCHEFFERUS, quæ non patiebantur aliter nego-" tium hoc expediri. Quid enim fu-" turum erat, si sub JOHANNE re-" crudescente Religione Pontificia, La-" tinis libris se tueri, contraque ire" theologi decrevissent? Ac ne sub" CAROLO quidem omnia erant tu-" ta satis, per insidias eorum, qui" Calvini dogmata tuebantur; ne ita-" que dubia & incerta erraret multi-" tudo, scriptis Svethicis erudienda" erat. Et quoniam id genus alibi," præsertim per Germaniam, com-"

præ-

„præhenſum literis fuerat, videba-„tur utile, id vertere in ſermonem „patrium, ut ſimul conſenſus cum „Eccleſiis ipſis, unde lux accenſa, „hiſce regionibus oſtenderetur. Quo „pertinet quod legantur tot ex Ger-„manico Latinoque factæ verſiones, „ut in eis pæne ſolis occupati tum „fuiſſe videantur.“ SCHEFFERI verba ideo adducere voluimus, quia ſtatum literarum hujus temporis optime exprimant. Cum autem, CHRISTINA clavum tenente, melior uberiorque lux ſcientiis affulſiſſet, huic morbo medicinam parare conatus eſt AXELIUS OXENSTIERNIUS, cujus rogatu Regina ad ELZEVIRIOS, librariis typographicisque officinis celebres, literas dedit, quibus plurima oblata ſunt commoda, eis, qui libros per Europæum orbem nuper emiſſos, quovis anno in Sveciam transportare vellent. Quod cum recuſarent, ob loci remotiorem ſitum, ad Regiam Majeſtatem ſupplices

plices iverunt Academici Upſalienſes, ut JOHANNI MARTINO STENIO Sveco, qui ſuam in arduo hoc negotio operam illis obtulerat, librariam tabernam Upſaliæ inſtituendi daretur venia. Sed neque hic niſi quædam exigua, & illa quidem tarde, præſtare potuit. Quem ſecuti JANSONIUS, BLEAUII & WETSTENII vix inchoato operi manus ſubtraxerunt; donec HENRICUS CURIO, qui JANSONII officinæ per aliquot annos præfuerat, mutato patroni conſilio, rem difficillimam, a plurimis, damno præviſo, relictam, A. 1659. ſibi perficiendam ſumeret. Ille Erfordiæ natus, typos Latinos, Græcos, Hebræos, adeo familiares ſibi reddidit, ut librariis typographicisque in Svecia præfectus officinis, eruditorum ſui temporis tantum non omnium familiaritatem promeruerit. Erat Vir, ait SCHEFFERUS in Epiſtola ad HEINSIUM, ad pro-

movendas literas natus factusque. Solus nempe & unicus in regno, ex quo aliquam operam docti sibi promitterent. Sed idem CURIO, postquam satis noti in aula AM" BROSII, linguæ Italicæ magistri," viduam duxit uxorem, adeo a se i-" pso degeneravit, ut in CURIONE ni-" hil reliquum, præter vestes obsoletas" & vocabulum.23) Sed hoc tamen institutum a CURIONE inceptum ordinatumque, adeo feliciter postea in patria promotum fuit, ut bibliopolæ Stockholmienses A. 1680. instar Lipsiensium & Francofurtensium, designationem librorum varii argumenti & idiomatis, qui in Sveciam nuper transvecti, apud illos venales exhibebantur, quovis anno, *Catalogi Holmensis* titulo edere inciperent, quem vir multæ eruditionis & industriæ, JOHANNES HEIZIG RIDDERSTIERNA elaboravit. Quod tamen laudabile institutum, ut

23) BURM. Syll. Ep. T. V. p. 138.

ut plerumque fieri ſolet, perpetuitate caruit.

§. X.

Innoteſcere exteris jam cœpit Upſalienſis Bibliotheca, qui honorificentius certe de illa locuti ſunt, quam quidem tum adhuc promeruerat. Upſalienſis Urbs, ait LUDOVICUS JACOBI, notiſſima eſt Archiepiſcopali ſede, & Academia, in qua ſervatur Bibliotheca ampliſſima & manuſcriptis non minus quam impreſſis optime inſtructa 24). Quibus certe Regiam Stockholmienſem cum hac noſtra confundit, dum de manuſcriptis codicibus loquitur, quorum plane nihil tum habebamus.

§. XI.

Interea Sveciam deſerit GUSTAVI filia, cum CAROLUS GUSTAVUS, qui ipſe ad hoc Lyceum ſtudiorum rudimenta depoſuerat, a DEO & CHRISTINA ad imperium admotus, ſumma tam in A-

24) L. cit.

cademiam univerſam, quam Bibliothecam, extare voluit favoris regii documenta. Igitur cum lites, quas ipſi moverat Rex Poloniæ, JOHANNES CASIMIRUS, JOHANNIS tertii Regis Sveciæ, a SIGISMUNDO, nepos, non niſi armis dirimi poſſent, in Polonia ubique victor, inſignes Bibliothecas, quæ paſſim occurrebant, Upſaliam ablegavit. Utinam vero idem fatum ſingulis Poloniæ Lithuaniæq; bibliothecis manſiſſet, quæ inimicis ignibus præbuerunt eſcam. De Leſna urbe narrat STEPHANUS MELISCH in viſionibus ſuis, cum illam noſtri obſiderent, atque cives CZIRNAM, Sileſiæ oppidulum, ſe contuliſſent, patriæ incendia inde ſpectaturi, ambuſta etjam librorum folia, cum favillis eo ablata fuiſſe, quæ venti transvexerant ingenti copia. Accepimus nos duas Poſnanienſes, unam Jeſuitarum, Patrum Benhardinorum alteram. Quas ſubſecutæ ſunt Wilnen-

nensis, quæ licet Regium montem 25) quasi ad locum tutiorem transportaretur, victrices tamen manus effugere non potuit: Et Cracoviensis, ad quam Bibliothecarius tum nuper fuerat GEORGIUS BORASTUS Svecus, vir doctissimus. Erexerat hanc SIGISMUNDUS secundus, & referente HEIDENSTEINIO, Moscoviticis spoliis multum ampliaverat. Nobis tamen nihil inde remansit, postquam Olivensis fœderis nono articulo cavisset Rex Poloniæ, ut integra ipsi restitueretur. Qui vero has manubias in Patriam salvas & integras transtulerat, JOHANNES BYSSOW, militiæ Regiæ commissarius, equestrem dignitatem a Rege summo meruit.

§. XII.

Erexerunt etjam illustres in Svecia viri, more Romanorum veterum bibliothecas in Tusculanis suis: ubi

ani-

25) ADR. IGNAT. NARAMOWSKI Facies Rer. Sarm. Lib. 1. p. 280.

animos curis defatigatos relaxarent. Inter has fuit Rosenhaniana, quam in prædio Bærbo prope Nycopiam struxit SCHERINGUS hujus nominis primus. Ad cujus introitum hæc olim legebantur:

SISTE.
QUISQUIS. ANTE. PORTAM. ES.
FORES. NON. PULSA.
NEC. STREPITUM. MOVE.
LOCUS. SACER. EST.
HIC. DIVINÆ.
ET. HUMANÆ. SCIENTIÆ.
SACRARIUM.
HIC. SENATUS.
ET. CULTUS. MORTUORUM.
FACESSANT. HINC. NEGOTIA.
STREPITUS. ET. LITERARUM.
IGNARI.
SOLITUDINEM.
ET. OTIUM. POSSESSORIS.
INTERPELLARE. NOLI.

Wisingsburgensis Bibliotheca, a Regni Drotzeto PETRO BRAHEO, eruditione non minus quam genere illustri

lustri, collecta, partim combusta est, partim arcem Skogensem adhuc ornat. Rolambianam formavit illustrissimus CLAUDIUS ROLAMBIUS in prædio suo Lenna, atque in catalogos, mole satis spissos, propria manu, redegit. Quantum ex hac profecerit JOHANNES HADORPHIUS, bibliothecarum patriæ, suo ævo, scrutator diligentissimus, in præfationibus ad chronicon rhythmicum majus & historiam S. OLAVI Regis, ipse fatetur. Est vero illustri huic genti, ab antiquo ævo, velut sanguine transmissus literarum amor, qui apud hodiernos etjam antiqui nominis famæq; propagatores, perdurat. Etiam Delagardiana celebris fuit. Quam congessit MAGNUS GABRIEL DELAGARDIUS, Regni & Academiæ Upsaliensis Cancellarius, literarumq; Mæcenas, in Wenegarnensi aula prope Sigtunam sita. Ad hanc Bibliothecam aditum sibi, pulcro hoc

car-

carmine, olim paravit, Poeta apud nos celebris, ANDREAS STOBÆUS:

Magna ducum Soboles, cœlo delapsa propago,
Aut ipsis, Heros, adnumerande diis.
Quisquis es, Arctoi certum decus omne trionis,
Et Gothici nomen, gloria, gemma, soli.
Da veniam, mea Musa Tuum quod numen adoret,
Quod tangat divos officiosa pedes.
Tempora sunt fateor minus opportuna, sed audi,
Expediet paucis quod tremebunda petit:
Sordescit sensim sine libris vena poëtæ;
Ut Tua fac pateat Bibliotheca mihi.

Formaverat, præter hanc, alias duas, quarum unam Stockholmiæ, alteram in arce Leckô Westrogothorum servabat. Fuit vero ad Leckôensem illam A. 1679. Bibliothecarius ANDREAS INGEM. RHODINUS, quem titulum in dissertatione sua, Upsaliæ habita, de *solis maculis*, ipse apposuit

fuit. Sed Wenegarnensis reliquas & numero & bonitate superabat. Quæ in tam amplum numerum librorum excrevit, Polonicis Silesiacisque spoliis, & instructissima Bibliotheca STEPHANI JOH. STEPHANII, quæ Anno 1659. tota pæne in illam transiit, locupletata, ut viri summi, PETRUS LAGERLÖF, LAURENTIUS NORRMAN, JOHANNES GARTMAN, OLAVUS LINNERIUS, ibidem Bibliothecarii munus gerere haud recusaverint 26).

§. XIII.

CAROLUS undecimus connato amore musas coluit. Igitur cum adparatus tam Rålambianus quam Delagardianus, ipsi per reductionis jura adjudicaretur, Upsaliam illos transmisit. Insertus est hic Bibliothecæ Academicæ A. 1686. Unde optimis præstantissimisque libris Hebraicis, Græcis, Latinis, Gallicis, Itali-

26) NORRMANNI Orationes p. 172.

Italicis, Hiſpanicis abunde ditata eſt: quod certe catalogi apud nos ſuperſtites, & ab OLAVO LINNERIO, dum illi præeſſet, grandi volumine confecti, ſatis commonſtrant. Ille vero ſubſequebatur A. 1693. qui, licet librorum numero minor, pretio tamen Delagardiano non cedit.

§. XIV.

Cæterum ad tantam amplitudinem Bibliotheca Upſalienſis jam pervenerat, ut ædes antiquæ illam ulterius non caperent. Novum igitur palatium ſupra Guſtavianum auditorium, ſuis impenſis, exſtrui juſſit CAROLUS undecimus. Quod factum, in marmorea effigie Glorioſiſſimi Regis, a CASPARO SCHRODERO Sveco, ſculpta, & in occidentali atrio poſita, perennat. Ubi hæc leguntur.

REGI.
AUGUSTO. PIO. FELICI.
CAROLO. XI.
LITERARUM. STATORI.

BI-

BIBLIOTHECÆ. HUJUS.
INSTAURATORI.
PATRIÆ. PATRI.
CURANTE.
ACADEMIÆ. CANCELLARIO.
BENED. OXENSTIERNA.
POS.
MDCCI.

Ab A. 1624. domum illam, in quam hodie Confiftorium Academicum convocatur, occupabant libri; neque prius, licet de hoc negotio fæpius confultaretur, commodius habitaculum adepti funt, quam magnus fui temporis polyhiftor, OLAVUS RUDBECKIUS fenior, Regis mandato, Guftavianas ædes ita informaffet, ut duo illa fpatiofiffima atria inde pararentur, quæ Bibliothecam noftram jam continent. Meruitque fane quem tenet locum, fummi RUDBECKII imago, quæ fuper introitum feptentrionalis atrii confpicitur. Igitur in novas has pulcerrimasque ædes transmigrarunt libri A. 1691. & 1693. ubi

bi ſtudio indefeſſo LAURENTII NORRMANNI, tum Bibliothecarii, explicati ordinatiq; ſunt. Verſus Arcton philoſophica Bibliotheca comparet, ſecundum facultates, naturali in ſcientiis ordine, diſpoſita. Occidentalis vero domus, Theologos, Medicos & Juris commentatores complectitur: quæ duo conclavia porticus, imaginibus illuſtriſſimorum Cancellariorum pulcerrime ornata, jungit, in qua etjam manuſcripti codices aliaque rariora naturæ vel artis opera, ſervantur.

§. XV.

Centum volumina rariſſimorum Rabbinorum A. 1692. variis terrarum tractibus a ſe comparatorum, Bibliothecæ Upſalienſi reliquit aſſiduus horum ſtudiorum cultor, & Syntagmatis bifrontis Auctor, LAURENTIUS ODHELIUS.27) Atq; ut mu-

27) Erat ille ERICI ODHELII Theol. Doct. & Prof Upſ. filius; qui, cum in patria, ERICO BENZELIO ſummo viro, Informatore ſtudiorum rudimenta de-

munificentias FEUQUIERIORUM, ROBBINSONIORUM, CARTERETIORUM, ROSENCRANTZIORUM taceamus, certe reticendus non eſt theſaurus librorum, Sclavo-Ruſſicorum, Bohemicorum, Anglico-

guſtaverat, peregre proficiſcebatur. Tum vero ESDRA EZARDO manuducente, eos in orientali eruditione progreſſus fecit, ut non tantum Hebræum codicem ſed Rabbinorum quoque ſcripta & commentarios, ſummo cum fructu evolveret. Viſa Germania, Italia, Gallia, Belgio, Anglia, Gieſſam A. 1687. properat, ut Theol. Doctor renunciaretur; eo fine *Synagogam Bifrontem* compoſuit, quo libello hodiernam Synagogam Judæorum, a veteri patrum doctrina plurimum defeciſſe demonſtravit. Sed dum Hamburgi moratur, hectica, qua juvenis laboraverat, in ingens Hebræarum literarum damnum, occumbit. Ne vero expers plane omnis lucri, ab ipſius vigiliis ſtudiisque, eſſet patria, morti vicinus, adparatum ſuum Rabbinicum, Bibliothecæ Upſalienſi, teſtamentariis literis, reliquit.

corum, Italicorum, Hiſpanicorum, Hungaricorum, Polonicorum, Moldavo-Sclavonicorum, Illyricorum, quo illuſtris SPARVENFELDIUS illam donavit. Adierat SPARVENFELDIUS terras Europæ fere omnes, & Africæ nonnullas, Gothica monumenta conquirendi propoſito. Quæ cum nusquam reperiſſet, magnam, eorum loco, librorum cujusvis generis, ſupellectilem ſecum in patriam attulit, qui ſine hujus ſtudio, in noſtrum orbem vix unquam veniſſent. His addidit. A. 1701. Armenicam Bibliothecam haud vulgarem, indulg. Parens meus D. OLAVUS CELSIUS, Upſalienſis Archipræpoſitus & Profeſſor primarius, quam Romæ, Maſſiliæ, Amſtelædami comparaverat. Cujus etjam Botanica Bibliotheca ducentorum voluminum, non minori collecta ſtudio, A. 1739. in hanc translata eſt.

§. XVI.

§. XVI.

Neque parum Upſalienſi Bibliothecæ acceſſit librorum, ex adparatibus Profeſſorum Upſalienſium, aliorumque in Svecia doctorum Virorum, dum, mortuis poſſeſſoribus, illorum bibliothecæ ſub haſtam venerunt. Ita ex *Bergiana* 28) in Sclavonicis, ex *Foreliana* 29) in Grammaticis & Poëſi, ex *Buſkagriana* 30) in Rabbinicis, ex *Enemanniana* 31) in Arabicis, ex *Blockiana*, 32) in Medicis, ex *Spegeliana* 33) in

28) NICOLAUS BERGIUS Revalienſis. A. 1700 Generalis Superintendens per Livoniam, in Religione & Lingva Rutenorum inſigniter doctus, magnam Bibliothecam librorum Sclavonicorum collegerat.

29) HEMMINGUS FORELIUS Prof. Poeſ. Upſ. 1687.

30) JOHANNES BUSKAGRIUS L. L. O. O. Prof. Upſ. a 1661.

31) MICHAEL ENEMANNUS O. O. L. L. Prof. Upſ. a. 1714.

32) MAGNUS GABRIEL VON BLOCK A. 1702 Med. Oſtr: Prov. Vir doctrinæ & ingenii ſolidioris, qui variis per Eu-

in Ecclesiasticis, magna incrementa accepit. Omnium vero pulcerrima messis illa erat, quam fecit, dum venum daretur Bibliotheca LAURENTII NORRMANNI, referta ter mille rarissimis in quacunq; materia libris, veterum & recentiorum, maximam partem Rabbinicorum, Græcorum, Hispanicorum, quos catalogus, cura RICHARDI von der HARDT A. 1707. publici juris factus, recenset. Inde vero præcipuum pretium libri habent, summi hujus Viri literatissima manu triti, quod in marginibus passim ipsius observationes & emendationes exhibent. Inter hæc autem cimelia ultimo haud ponimus loco Græci Thesauri Stephaniani exemplum, schedis Norrmannianis & augmentis repletum, ut laboris, quem in hoc opere

ropam itineribus clarus, insignem Bibliothecam reliquit.

33) HAQUINUS SPEGEL Archiepiscopus Upsal.

pere emendando augendoque posuerat, locupletissimum testem. Neque minoris facimus lexicon Græcobarbarum Meursianum, ejus observationibus illustratum, quod opportune nuper accepimus.

§. XVII.

Manuscriptis codicibus Bibliotheca nostra non quidem abundat, tamen inter paucos, quos possidet, unus vel alter deprehenditur, quem frustra alibi quæsiveris. Græca & Latina cimelia ex Bibliotheca JOHANNIS SCHEFFERI accepit, quæ vir summus Argentorato secum Upsaliam asportaverat. Occurrunt inter illa nonnulla Mathematica, Musica & Physica, Græcorum veterum, quibus SEBASTIANUS MIEGIUS, Argentoratensis Senator & Nobilis, possessor vetus, varias annotatiunculas hinc inde aspersit. His accedunt Enemanniani codices MSS. Arabici, Turcici, Persici, ab illo, dum in oriente versaretur, proprio ære collecti, & A-

rabici, Turcici, Coptici, Æthiopici, Rabbinici, a Rev. Lundensium Præsule HENRICO BENZELIO, Cairi partim, partim Constantinopoli, mille octingentorum thalerorum pretio, Bibliothecæ nostræ adquisiti: quorum indiculus in actis Literariis Upsaliensibus exhibetur 34). Cæterum quid illustri SPARVENFELDIO 35), etjam ex hac parte debeat

34) A. 1721. p. 242.

35) Quin etjam fundis magnus hic Mæcenas Bibliothecam nostram donavit, quibus januarum custos alitur. Cæterum de illustris hujus Viri industria & in Musas amore, testantur illius labores varii, quorum autographa Bibliotheca nostra, in auctoris memoriam nunquam morituram, servabit. Ut sunt, inter alia, Svecana versio operis SAAVEDRÆ, quod Corona Gothica inscribitur, quam eo usque perduxit illustris auctor, ut primas etjam plagulas typis mandarit, Carolo Regi dicatas; & Lexicon Latino-Sclaveno-Russico-Germanicum, cujus duo folia, speciminis gratia, in Belgio pro

beat Bibliotheca noſtra, literæ Viri Nob. ad Academicos Patres ſcriptæ, abunde loquuntur.

PATRES CONSCRIPTI ACADEMIÆ UPSALENSIS, Viri omnium Facultatum Præcellentiſſimi.

Quos variis, iisque difficillimis per Europam, partemque Africæ, antiquitatum potiſſimum Gothicarum indagandarum ergo juſſis ſuſceptisque pariter & confectis itineribus aliquo ſtudio, impenſis, ac periculis, undique conquiſiveram Codices MSS. & impreſſos Arabicos, Syriacos, Ægyptiacos, Turcicos, Perſicos, Græcos, Slavonicos, Latinos, Moldowlachos, Sinenſes, Rhæticos, Epiroticos, &c. apud Europæas gentes plerasque, ſeptentrionales cumprimis maximam partem nec viſos

prodierunt. De hoc opere loquitur KEDERUS in Epiſtola inſerta novis Lit. M. Balth. A. 1700. p. 269. & NICOLAUS BERGIUS in diſſ. de ſtatu Eccl. & Relig. Moſcow. c. III. p. 47.

sos nec cognitos, magnæ antiquitatis variæque adeo sapientiæ raræque scientiæ plenos, certe ad illustrandam Patriæ gloriam maxime valituros, illorum heic centuriam partemque non spernendam Academiæ ac Bibliothecæ Upsalensi lubens meritoque dico, offero, vestræ vero, Patres Academici, curæ fideique nunc sisto, permitto.

At enim ubi potius hæc Antiquitatis cimelia deponerem, quam ad illud bonæ mentis sacrarium Academiam Upsalensem, nutricem quondam meam suavissimam, quæ & antiquitate & celebritate nominis, meliorum itidem artium disciplinarumque cultu, vel cuivis per terrarum orbem alii palmam facere dubiam facile queat? Quibus concrederem rectius, quam viris omnigenæ eruditionis laude præcellentibus, omnis Divinæ, humanæ, abstrusæ etiam scientiæ promis æque ac condis fidelissimis? Adservate ergo, Conscripti Patres, hos qualescunque itinerum meorum fructus, an fructuum partes vel reliquias, Aca-

de-

demiæ ac Bibliothecæ quo placitum loco; ſint amoris in Patriam, ſtudii erga Academiam, animi erga Vos mei totidem obſides, teſtes, interpretes. Valete & feliciter rem gerite.

Præcellentium Nominum Veſtrorum
Holmiæ ad d. XV Maji
anni cIↃIↃccv. *obſervantiſſimus*
J. G. SPARWENFELDT.

Quibus his reſponderunt Academici Upſalienſes:

S:æ R:æ M:tis MAGNÆ FIDEI VIRO, Et a ceremoniis Legatorum publicis Primario, Illuſtri & Generoſiſſimo Domino,
JOH. G. SPARWENFELDIO, S.D.

DEſunt nobis verba, Vir Generoſiſſime, quibus exornemus aut potius dignis encomiis celebremus ſplendidum illud munus literarium, quo nuperius per ſingularem tuam munificentiam inſigniter aucta & ornata eſt Bibliotheca Academica. Id ſaltem noſtri in præſens intelligimus eſſe officii, hoc nomine, Tibi, Vir Generoſiſſime, ex Senatus A-

cade-

cademici decreto gratias agere solentes, easdemque immortales, & Musis Upsalensibus pretiosissimam hanc accessionem impense gratulari. Profecto ubi collectoris summam fidem, diligentiam atque industriam prope incredibilem contuitamus in tot codicibus MSS. & impensis conquirendis parandisque, utpote emensi tot desperata per Europam partemque Africæ itinera, ad illustrandam dulcissimæ patriæ & Gothicæ gentis inveteratam gloriam unice suscepta; pariterque libros intuemur ipsos, quorum plerique in hunc diem Arctoo orbi nec visi nec cogniti, nedum lecti & excusi sunt, inæstimabile donum jure censemus, adeoque nunc maxime omnes animadvertimus, quam propemodum nihil hæc Bibliotheca, si librorum copiam & varietatem spectes, aliis quibusvis in orbe literato cedat. Adservabitur, Vir generosissime, hoc antiquitatis κειμήλιον in gratam & perpetuam Tui memoriam, conficieturque & typis divulgabitur, horum omnium voluminum index [illegible]

quo non solum indigenis, sed & exteris hominibus, cunctisque omnis populi ævique posteris innotescat, quid quantumque illustri SPARWENFELDIANO nomini debeant nostræ Camenæ. Atque sic lectissima hæc Codicum suppellex, uti Tuorum itinerum fructus est uberrimus: ita solidæ & nunquam intermoriturae gloriæ liberalitatisque Tuæ testis erit ac pignus sempiternum. De cetero semper Te venerabimur, quem virtus Tua & eruditio summa nobis omnibus & amicum & celebrem fecit. Vale

Generosissimi Tui Nominis

Upsalis, ipsis Calendis Quinctilis MDCCV.

observantissimi

Rector & Senatus Academicus.

Promissum indicem adornarunt Reverendiss. ERICUS BENZELIUS & indulg. Parens meus, ita sociata labore, ut hic Arabica, Persica, Turcica, ille vero Græca recenseret. Quæ Stockholmiensi Bibliothecæ Vir illustris legavit, pari studio

per

per GUSTAVUM PERINGERUM LILJEBLAD, Regium tum Bibliothecarium, erudito Catalogo, sunt descripta. Ut vero tantorum meritorum æterna vigeret memoria, tanti Musagetæ funus parentali oratione prosequi, suarum præ aliis partium esse rebatur, Bibliothecæ nostræ Præfectus, jam Gothoburgensium Præsul, D. GEORGIUS WALLINUS, e qua pauca, cum ad rem præsentem pertineant, delibabimus.
„In hac Urbe, ait, in hac Boreali-
„um Athenarum arce, in hac Palladis
„æde, in his super capita vestra mu-
„sarum sacrariis, maxima SPAR-
„VENFELDII munera, quando-
„cunque libuerit, oculis conspicitis,
„manibus contrectatis. Te cumpri-
„mis testem adpello M. R. D. D. ac
„P. OLAVE CELSI, qui plurimis
„abhinc annis, una cum Rev. BEN-
„ZELIO, ingentem eorum nume-
„rum exacte recensuisti, atque eru-
„dito orbi exhibuisti contemplan-

dum

„dum. Multa equidem fuere illa, accesserunt tamen deinceps longe plura ejusdem commatis pretiique. Intelligo magnificos illos partim typis partim manu exaratos codices, linguarum tantum non omnium, Arabicos, Syriacos, Copticos, Græcos, Persicos, Turcicos, Armenicos, Sclavonicos, Moldowlachicos, Sinenses, Japonicos, Rhæticos, Epiroticos, Latinos, Italicos, Gallicos, Hispanicos, &c. monumenta & cimelia antiquitatis tam sacræ quam profanæ præstantissima, Arctoo orbi prius nec visa nec cognita, tot vero jam annorum curis, vigiliis, sudoribus, algoribus ac sumtibus prope infinitis, in orbe cum Christiano tum infideli, anxie conquisita.

§. XVIII.

Dum virorum illustrium in Bibliothecam nostram merita persequimur, memorandus utique est Generosissimus D. PETRUS SCHOENSTROM, Vir, si quis alius, Sclavoni-

voni-

vonicarum antiquitatum callentissimus; qui e Siberiensi captivitate, qua diu detinebatur, redux, Sclavonicis, Tataricisque monumentis rarissimis, quo fertur in musas amore, Bibliothecam nostram locupletare voluit. Duo inprimis sunt codices, in actis Upsaliensibus laudati, quos illius liberalitati debemus. Prior Sclavonicus continet Genealogias illustres Regni Moscovitici, tam Czaricas quam ducales & nobiles. Hujus pleraque exempla, nescio quo consilio, conquisiverat Czarus FEDOR ALEXIOWITZ & ignibus tradiderat. Posterior Turcicus est, & exhibet Chani f. principis Tatarici *Abulgasi Bagadur filii Arab Muchmet Chani*, historiam Genealogicam, non modo suæ familiæ, sed etiam Tatarorum vicinorum. Rarissimum hoc monumentum Tataricæ gentis, dum in Moscovia erat Generosus possessor, Germanice transferendum curavit. Fuere vero

[illegible] mi-

manus, qui Germanicam hanc versionem, inscio possessore descriptam in Gallicam facerent, & in Belgio ederent, ejus nomine plane praeterito, cujus industria codex primum illis innotuisset. Scimus, quantum Abulgasiano labori tribuat STRAHLENBERGIUS, qui inde seriem Regum Sveciae per JOHANNEM MAGNUM fictam, explicari quodammodo posse existimat. Quod negotium quam infeliciter procedat, instituta inter hos scriptores collatione, facile adparebit.

§. XI.

Vazstenensis Bibliotheca monumenta quaedam Svecica, bullas utpote papales, epistolas, statuta Ecclesiastica &c. nostrae subministravit. Qui certe adparatus adhuc pulcrior fuisset, nisi Archiepiscopus ABRAHAMUS ANDREÆ *Angermannus*, reliquique reformatores Evangelici, pessimo zelo, illum magnam partem

tem destruxissent. De qua monumentorum clade ita loquitur MESSENIUS. Porro ait, alii Bibliothecam monasterii, sane instructissimam, simul diripuerunt; Cujus etjam non modica portio in castrum avecta, machinarum onerationi deputatur, & reliqui codices numero pauciores vilioresque adhuc ibidem reservantur. Cum his pariter pauca literarum veterum documenta, seu verius fragmenta, quandoquidem non minus hostiliter cum ipsis quam antea cum libris processerint, in maximum patriæ & patriam scribentium historiam, detrimentum perierunt. 36) Partis Archivi hujus, quæ remansit Upsaliæ, eruditum Catalogum adornavit E. BENZELIUS, qui si imprimeretur, plurimum inde statui medii ævi literario, luminis accederet.

§. XX.

36) Scond. illustr. T. VIII. p. 31.

§. XX.

Huc etjam pertinent historica collectanea Nob. ELIÆ PALMSKIöLDII, quæ ab hæredibus, tribus thalerorum millibus, Upsaliensis Bibliotheca sibi comparavit. Meruit certe stupenda & inexhausti laboris diligentia beatus collector, ut ipsius memoria, peculiari laude, posteritati tradatur 37). Etenim cum in

37) Quare etjam vitam ipsius, cum brevis sit, ex auctoris Autographo adferemus. „ELIAS PALMSKÖLDIUS nobilis, in hanc lucem, editus Holmiæ Anno 1667 d. 18 m. Julii, „Patre ERICO LAURENTII RUNELL PALMSKIÖLD, ad Archivum Regni „per annos XXXV Secretario Regio, nato in Sudermannia A:o 1608 d. 17 m. Octobris, denato Holmiæ A:o 1686 d. 6. „m. Junii. Cui in munere successit Dn. „SUENO LEIJONMARK, nunc dicasteri Regii Aboënsis Vice-Præses. Exactis „sub domestica institutione primis pueritiæ annis, uberioris eruditionis comparandæ gratia A:o 1679 mense Maji [illegible] Aca-

in publicum emisisset Illustr. Comes ERI-

„Academiam Upsaliensem adivit; ubi „postquam per septennium literas insigni „cum fructu & successu tractasset, Re-„giis literis datis Anno 1685 d. m. Fe-„bruarii ordinario in ArchivoRegniCan-„cellistæ, ut vocant, muneri admovetur, „cum licentiâ continuandi ulterius, per „unum alterumve annum, exercitia Aca-„demica. Acceptam, isthoc speciali be-„neficio, inter ipsa literarum studia at-„que ab ineunte statim adolescentia, de „Republica bene merendi occasionem, „diligentia & industria summa persecutus „est, alternis vicibus Archivum & Aca-„demiam, cum ingenti suo emolumento, „frequentans. Hac A:o 1689 demum „relicta, omne tempus, quod ab occupa-„tionibus suis in Archivo vacuum ha-„buit, praxi forensi addiscendæ in supre-„mo dicasterio Regio, aliisq; judiciis in-„ferioribus, sub auscultationis beneficio, „impendit,donec A:o 1693 novo honore „ornatus per plenipotentiam Regiam ad „ArchivumRegni velCancellariæ consti-„tueretur Actuarius. Quo munere nullus

alius

ERICUS DAHLBERGIUS splendi-
„dius post ipsius patrem, qui A:o 1651
„ab illo ad Secretariatum in locum Vi-
„ce-Præsidis Dn. ISRAELIS LAGER-
„FELDT adscendit, perfunctus fuerat.
„In isto Actuarii munere, omni fide &
„dexteritate cum annos tres & aliquot
„menses exegisset, A:o 1697 literis Re-
„giis datis in Kongsöhr die . Martii ad
„Actuarii primum vices in ipsa Cancel-
„laria Regia obeundas designatur, & mox
„subsecuta plenipotentia Regia, data die
„ Aprilis, eidem muneri præficitur, a-
„lio constituto Archivi Actuario.
A:o 1701 mense Octobris, vacante
„per D:ni SUENONIS LEIJONMARK,
„ad officium Vice-Præsidis in dicasterio
„Supremo Finlandiæ, translationem, Ar-
„chivi Secretariatu, ab Illustrissimo Co-
„mite, nunc inter cælites beatissimo,
„D:o BENEDICTO OXENSTIERNA,
„senatore primo & Regiæ Cancellariæ
„Præside, LEIJONMARKIO in successo-
„rem unice denominatur, sed literis com-
„mendatitiis vel serius exhibitis, vel a-
„liis intervenientibus remoris, eadem si-
„bi destinata promotione hac vice exci-
dit,

didum opus, quo Sueciæ arces, chalcographicis tabulis nitidiſſime delineantur; atque OLAVUS HERMELINUS, CLAUDIUS ÖRNHIELMIUS, PETRUS LAGERLÖFVIUS, Regio mandato, illud hiſtoricis deſcriptionibus illuſtrandum, unus poſt alterum, ſibi ſumſiſſent; perſpexit PALMSKIöLDIUS rem, tum ob vaſtitatem ſuam, tum etiam ob monumentorum defectum, lente admodum proceſſuram. Stimulavit igitur illum de patriis antiquitatibus bene merendi cupiditas, quam avito ſanguine ab antiquis Regii Archivi præfectis, LAURENTIO OLAVI, ERASMO LUDOVICI, & [illegible] ERI-

[illegible]

„dit, quæ tamen vix præterlapſo unius „anni ſpatio ipſi poſtmodum feliciori ſuc„cedere obtigit, dum per plenipotentiam „Regiam expeditam in caſtris An. „1702 in locum nuper demortui Dni „LUDOVICI SCHANTZ Archivi ſub„ſtituebatur Secretarius.“ Moriebatur PALMSKÖLDIUS laboribus exhauſtus

ERICO parente, possidebat, ut operi isti, licet amplissimo, manus admoveret. Auxit congenitum ardorem suasio D. JOHANNIS STIERNHöKII, cujus opera in forensi doctrina, PALMSKIöLDIUS usus fuerat. Hoc proposito, magnis sumtibus sibi Bibliothecam collegit auctorum, qui de patriis rebus commentati sunt. Quorum etjam Catalogum, Librarii Suecici titulo, typis evulgandum, adornavit. Et cum simul vastam plane multitudinem documentorum, quibus Archivum Regni instruitur, diligenti oculo, ipsi valde necessarium esset perquirere, ita per integrum sexennium libris chartisque se abdidit, ut ne minimum quidem temporis otio & amicis relinqueret. Tum vero nata sunt notissima illa Palmskiöldiana collectanea, quibus omnia, quæ vel in impressis, vel aliis monumentis, Suecanam historiam quacunque ratione illustrantia legerat, comprehen-

duntur. Ita vero indies crevit hic thesaurus, ut vitam ingeniumque unius viri illi congerendo suffecisse vix crederes. Est autem eo pretiosior, quod plurima monumenta, ex quibus illum collegerat, funestis ignibus arcis Regiæ Stockholmiensis postmodum perierint. Cum vero plurima se tandem collegisse intelligeret, quæ ad Sueciæ nov-antiquæ illustrationem pertinerent, varios in tomos illa digessit, de quibus ipsemet ita loquitur: „Præter varia excerpta & collectanea Historico-politica, Genealogica „aliaque miscellanea, quæ absque „intermissione ex actis Archivi & diversis scriptoribus congerit, singula suis peculiaribus destinata „usibus: horas succisivas & otia ferme omnia consumit in elaborandis „& perficiendis suis, ante aliquod „tempus, incœptis opusculis, quorum præcipua sunt quæ sequuntur.

1 Iti-

„I Itinerarium historico-politi-
„cum, in quo pleraque per regnum
„universum, illique subjectas pro-
„vincias, occurrentia loca, obser-
„vata, inprimis illa, quorum men-
„tio fit in historiis patriis, curiose
„investigantur & breviter describun-
„tur, indicatis simul ibi obviis an-
„tiquitatibus, monumentis & inscri-
„ptionibus.

II. Memorabilia gentis Suio-Go-
„thicæ dicta & facta sub suis certis
„titulis, methodo peculiari disposita.

III. Calendarium historicum, quo
„res recensentur memorabiles, quæ
„seculis novissimis XVI. & XVII in.
„Suecia, singulis diebus aut contige-
„runt aut gesta fuerunt.

IV. Index recessuum & actorum
„publicorum ab antiquissimis tem-
„poribus, præsertim vero regis Ma-
„gni Ladalåås, ad hæc nostra, or-
„dine adcurato, continuatur.

V. Observationes Genealogicæ
„ex Actis Archivi variisque ante-

 cesso-

„cessorum suorum, ERASMI LU-
„DOVICI, PETRI MAGNI UT-
„TER, JONÆ BUREI & parentis
„ERICI PALMSKIöLDII collectio-
„nibus & manuscriptis, summo stu-
„dio & labore erutæ.

VI. Bibliotheca Suio-Gothica,
„qua cum suis plenis titulis recen-
„sentur pleraque scripta, quæ a Sve-
„cis vel Suecica civitate donatis con-
„dita, intra vel extra patriam, pu-
„blicam aspexerunt lucem, aut ad-
„huc exstant inedita, quatuor distin-
„cta partibus, quarum prima exhi-
„bet Theologica, secunda juridica,
„tertia medica & Physica, quarta
„Philosophica, historica, Philologi-
„ca aliaque miscellanea, adspersis, suis
„locis, necessariis observationibus &
„indicatis sub finem singulorum au-
„ctorum diebus natalibus & emor-
„tualibus, vitæque conditione.

Interea dum hæc memorata, ul-
„teriorem expectant limam, prælo
„habentur parata, quam primum i-
do-

„doneus ſe obtulerit typographus, „vel alius ſumtuum neceſſariorum „ſubminiſtrator, magnorum quo„rundam ex gente SuioGothica he„roum & virorum illuſtrium mo„numenta literaria, in quatuor to„mos diſtributa, quorum 1. conti„nentur Orationes variis occaſioni„bus habitæ, 2. Diſſertationes ab il„lis conſcriptæ. 3. Epiſtolæ. 4. Poë„mata aliaque varii generis & argu„menti opuſcula ſermone Latino „conſignata, cum indiculo, in quo „Singulorum vitæ breviſſime per„ſcribuntur. &c. Qui uberiorem vaſtiſſimi operis Palmſköldiani cognitionem deſiderant, ipſius collectoris, ad Illuſtr. Comitem DALBERGIUM perlegant literas *). His vero

*) PALMSKIÖLDS egen berättelſe till hans Excellence, Kongl. Rådet och Gen. Gouverneuren, Gref Eric Dalberg, angående ſine hiſtoriſke extracter och collectanea. dat. Stockholm den 28 Februarii 1702.

Eders

vero facile patere arbitror, quam vastæ

Eders höggrefl. Excellence tecktes „ei onådigt uptaga, det jag som aldrig „ännu har haft den lyckan, att en gång „wara hos Eders höggrefl. Excellence „till namnet bekant, fast mindre kan „förmoda mig åga någon del uti Eders „höggrefl. Excellences höga gunst, skal „nu så driftigt underftå mig, att under „Eders höggrefl. Excellences så mångfal- „dige och högtangelägne förrättningar, „med denne min skrifwelse framkomma. „Den högtbeprislige mildhet som med „en ojförliknelig tapperhet hos Eders „höggrefl. Excellence till allas wörde- „fulla förundran sig så herligen har „sammanparat, år allena som brakt mig „till denna driftighet, och lemnat hos „mig den wisse och såkre förhoppning, „att Eders höggrefl. Excellence warder „med nåder anseendes hwad jag af ett „wälment upsåt medelst detta kommer „i all ödmiukhet att anbringa. Det äre „Nådige Herre, mer ån 10 åhr förlup- „ne sedan jag af en hiertelig åstundan, „att på något sått kunna hos Eders „högrefl. Excellence insinuera min ring-

ga

ſint molis, quidve contineat. In gratiam

„ga perſon, och till att öpna mig wä-
„gen dertill, kom uppå de tankar, att
„uthaf wåre gamle Crönikor, och hi-
„ſtoriſke handlingar ſamt hwarjehanda
„particuliere efterråttelſer ſammanſan-
„ka och uti ett corpore tillhopa fatta
„alt hwad jag kunnat finna i någon måt-
„to tiänligit till den under Eders hög-
„grefl. Excellences höga auſpiciis i wår-
„ket warande ſplendide och makelöſe
„Sueciam antiquam & novam. Samma
„mitt förehafwande kom wäl genom
„Eders höggrefl. Excellences ſtraxt der
„på fölgde utreſa till de Tyſka provin-
„cierne att någorledes ſtudſa, icke de-
„ſto mindre har Jag lika fullt uti min
„fattade deſſein fortfarit, och det med
„få mycket ſtörre flit och ifwer, ſom
„jag åfwen wid ſamma tid blef avance-
„rad till Actuarie tienſten uti Kongl.
„Maj:ts Archivo, och ſå medelſt feck
„närmare anledning och tillfälle af de
„på then tiden derſammaſtädes befinte-
„lige, men nu genom den olyckelige
„Slåtsbranden till en god del förekom-
„ne hiſtoriſke Acter, complettera och
för-

tiam tamen illorum, qui Palmskiöl-

dians

„föröka mitt tilförenne sammanbrack-
„te förråd. Men som mig åter åhr 169
„wid min flyttning ifrån förberörde
„Actuarii beställning i Archivo, til
„det genom Herr Secreteraren Schme-
„demans avancement öpnewarande A-
„ctuariatet uti K. M:ts Cantzeli, mötte
„mig ett nytt hinder, som syntes sät-
„tia mig i twifwelsmål om ytterligare
„framgång, efter som jag således kom
„att engageras med andra syslor och
„ingen så god lägenhet mera hade der-
„på att arbeta, doch som jag till detta
„wärck befann hos mig en synnerlig
„inclination och dessutan med stor kost-
„nad, flit och sorgfällighet mig allare-
„dan till den åndan förskaffat meren-
„dels alla så in-som utrikes af trycket
„utgångne rare Auctorer, samt alle-
„handa historiska skrifter och curieuse
„handlingar, som i någor måtto beröra
„Swerige eller dess underliggande Pro-
„vincier och landskaper, så att Jag och
„deröfwer satt mig i ansenlig skuld och
„och stor olågenhet, har jag oacktat
„alle mig hårwid mötande hinder och

be-

dianis his laboribus uti voluerint, ob-
„beſwår åndå framhårdigt håruti con-
„tinuerat, och ånteligen dermed ſå wi-
„da kommit att jag förutan mycket
„ſom intet ånnu år renſkrifwit eller i
„ordning bracht, har att upwiſa tren-
„ne ſtarka volumina in 4:to med min
„egen hand och en allra compreſſaſt
„ſtyl ſammanſkrefne, ſom innehålla
„collectanea miſcellanea om Sweriges
„Rike i gemen, ſamt alla deſſ landſka-
„per och underliggande Finſke, Skånſke
„Lifländſke och Tyſke provincier i ſyn-
„nerhet, hwarutinnan jempte en med
„all flit ſammanfattad beråttelſe om alle
„uti hwart landſkap befintelige Ståder,
„Slått, Kyrckior, Palais och herreſå-
„ten, ſamt gamla Kloſter och elljeſt re-
„marquable orter, inflyta merendels
„alla de Paſſagier ſom hos in-och ut-
„ländſke authorer ſtå till att finna om
„någon ort i Swerige, ſåſom och alle
„monumenter, (Runeſtenar undantag-
„ne) inſcriptioner och curieuſiteter,
„ſom wid hwar och en ort kunna wa-
„ra i akt att taga. Jag har och tagit
„mig den mödan, att af hiſtorierne e-
ruera,

obſervamus, nonnulla ejus non ſine
crisi

„ruera, hwad mårckwårdigt uppå hwar
„ort, år håndt eller fórråttat, jåmwål
„når och af hwem hwar Stad, Slått,
„Kyrkia, kloſter och Palais blifwit up-
„bygt, fórbåttradt, afbråndt och fór-
„ſtórdt eller någre andre beſynnerliga
„hendelſer warit underkaſtad, góran-
„des det ſom angår Upland, allena ett
„ſtort volumen fór ſig ſielf. Nu en-
„doch Jag i mitt ſinne och ſamwete år
„ófwertygad om den móda flit och koſt-
„nad ſom jag uppå detta wårks ſam-
„mandragande ófwer 10 åhr anwåndt,
„ſå har jag likwål aldrig kunnat tånkia,
„att thet ſkulle winna af en och annan
„den applauſum ſom jag med hugnad
„nu fórſpórjer icke allenaſt af Herr vi-
„ce præſidenten Lejonmark min gun-
„ſtige gynnare och befordrare, ſom då
„han fór tre weckor ſedan ofórmode-
„ligen kom fórſt att ſe det, fann det
„både mycket nyttigt, ſåſom och nå-
„ſtan oumgångeligit fór den ſom får
„befallning Deſcriptionem Sueciæ att
„utarbeta, utan har och hans hóggrefl.
„Excellence Gref Bengt Oxenſtierna
ſom

crisi adhiberi posse, cum interdum conjecturis justo majorem fidem habuerit. Cæterum æstimanda sunt præsertim, documenta, diplomata & literæ, quæ ad historiam tam civilem quam Ecclesiasticam proximorum seculorum pertinent, quæque magna copia ex autographis, sua manu exscripsit PALMSKIöLDIUS.

§. XXI.

His addidit varios codices MAGNUS GABRIEL DELAGARDIUS, per JOHANNEM HADOR-

„som i går låt komma det för sine ögon „och med flit låg thet igenom, bety-„gat derwid ett så nådigt nöje och wål-„behag, att hans höggrefl. Excellence „af eget bewåg tillsade mig, att wela „det samma hos Eders höggrefl. Excel-„lence i bästa måtton recommendera. Skulle jag än widare bli så lyckelig och „jemwål erhålla Eders höggrefl. Excel-„lences ynnest och höggunstige appro-„bation som ifrån början hårwid warit „mitt förnämste ögnemärke, har jag „wunnit det jag sökt och hindt till det „mål, jag endast syftat efter.

DORPHIUM in catalogum redactos, qui Stockholmiæ in folio A. 1675. prodiit. Exſcripſit ex illo, titulos codicum Gothica lingua conſignatorum atque colloquiis menſtruis A. 1691 p. 730. inſeruit TENZELIUS, Indicem hunc, cum jam rareſcat, ex Epiſtola Delagardiana, membrana nitide ſcripta, adferam, ſpe certa rem me facturum æquis harum literarum æſtimatoribus pergratam, additis tum HADORPHII tum meis obſervationibus, quæ, minuſculis literis, ſingulis codicum titulis adſcriptæ ſunt.

Sacræ Regiæ Majestatis Regnique Sveciæ Senator & Cancellarius, Judex Provincialis Weſtrogothiæ Daliæque ut & Academiæ Upſalienſis Cancellarius.
Nos MAGNUS GABRIEL
DE LA GARDIE,
Comes in Låckôô & Arensborg, Liber baro in Ekholmen, Dominus in Hapſal, Helmet, Magnus-hoff,

hoff, Höyentorp & Wennegarn &c.
Magnifico Rectori, Virisq; plurimum Reverendis Clarissimisque omnium Facultatum in Academia Patria Upsaliensi Professoribus;

S. P. D.

OMnino multa sunt, Viri pl. Reverendi Clarissimique in omni literarum genere, eaque per se eximia, suo tamen pretio haud æstimata, vel quod ignavia quadam ævi minus trita ac celebrata vulgo ignorentur, vel quod difficiles explicatus habere visa, ingenii aciem nemo exerceat iisdem explicatius reddendis. Scilicet ita fere comparatum est, ut quæ facile percipi nequeunt, nec sua sponte influunt, ea libenter ad pedes abjiciamus. Sane viri docti, iique rerum antiquarum curiosi speculatores, ultro fatentur infinita pene veterum scriptorum libris ita abdita jacere, ut ea canum indagatorum more, qui feras sagacitate vestigant odoranturque

que ex his, in quibus delitescunt, cubilibus excitare, & odore, vel aliquo leviter presso vestigio persequi sit necesse. Inde nimirum, quod in permagna totius antiquitatis & vel earum rerum, quæ olim in medio positæ, in ore sermoneque omnium erant, ignoratione versamur. Atque ut alia transeamus, nemo fortassis recte dubitavit, pauca non esse, eaque haud contemnenda in prisca gentium fere omnium historia, quæ nos prætereunt. Imo vero pars perampla earum, quas hodie *Antiquitates Patriæ* appellamus, interitu hominum una interiit, & oblivione posteritatis obruta jacet penitus. Ipsa denique verba, quæ in ore priscæ antiquitatis crebro erant, quasi exauctorata a sequenti ætate repudiataque non nisi a paucissimis hodie intelligi queunt. Sed vix est, ac ne vix quidem, ut existimemus plane nihil rei literariæ interesse, hæc cui cuimodi fuerint,

ſusque deque haberi. Et vero quisque non ineptus rerum æſtimator facile nobis adfirmarit, vel in hiſce ſtudioſe indagandis perquirendisque tempus recte conſumi. Quod tamen eo non ſpectat, ut velimus inſolentia quæque verba, multisque jam jam ſeculis obliterata revocari; ſcilicet *vivendum moribus patriæ* ut quidam veterum non inſcite ait, *præſentibus verbis loquendum.* Alios vero hæc uſus habent, eosque peramplos, quod neminem latere poterit niſi quidem plane in literis isdem ſit hoſpes, & ab hiſce tam honeſtis jucundisque ſtudiis alienus. Atque ut alia, hoc loco ſilentio prætereamus, vel eo hæc conferunt, ut ingenia veterum quodammodo noſcere liceat, ſimulque hac ratione multarum rerum egregiam conſequamur ſcientiam. Denique per ſe pulchrum, noviſſe linguam qua uſi majores noſtri; idque vel ob ejusdem magnificentiam ac Majeſtatem, nati-

nativique decoris spectabilem exsuperantiam: Imo vero turpe nescire ultimam ejus linguæ, qua hodie utimur, stirpem, natales ac cunabula, quæ ex illis fontibus repetenda sunt. Sane Regum olim maximus, nunc piissimæ gloriosissimæque recordationis CAROLUS GUSTAVUS, ut erat rerum præclarissimarum, adeoque omnis honesti studii rectus æstimator, summusque Patronus, in hoc vero quam strenuissime elaboravit, quemadmodum Patriam sibi Charissimam & fortiter tueretur, & modis quibuscunque ornaret; Ita etjam de excitando provehendoque studio Antiquitatis Patriæ, optime cogitavit. Verum commotis per Europam tot tantisque bellorum tempestatibus, quibus & ipse Serenissimus Rex & Dominus noster abripiebatur, totum fere tempus, quo clavum imperii patrii (memoria nominis sui gloriaque sempiterna) tenuit, extra patriam consume-

sume-

ſumere neceſſum habuit, eoque pie cogitata exſequi nequivit. Nunc vero Dei conceſſu atque munere compoſitis bellorum tempeſtatibus tanti Herois Filius, isdemque Rex & Dominus noſter clementiſſimus CAROLUS XI. Magni Patris inſiſtens veſtigiis ac æque erga Patriam ſtudiaque honeſtatis animatus; quod olim Sereniſſimus Potentiſſimusque Rex pie cogitavit, ſed gravibus occupatus bellis, tandemque morte præventus, expedire haud ſuſtinuit; id vero ipſe expediundum clementiſſime ſuſcepit, expedivitque. Nimirum Sacra Regia Majeſtas hac de cauſa nuper inſtituit COLLEGIUM ANTIQUITATUM Patriæ, quod ignorare non poteſtis, idque ſumtibus regiis quam liberaliſſime ſuſtentat ac tuetur. Quo ipſo haud dubie omnes qui quidem, ſcientiam antiquitatis Patriæ æſtimare didicimus, id conſecuturi ſumus, quod cœlo imputemus, quoque recte lætemur:

hoc est, ſeneſcentem jam & prope intermortuam rerum antiquarum memoriam renovari, & a perpetua oblivione ſilentioque vindicari comperiemus. Atqui mediocres non ſunt tenebræ in ſilva, ubi hæc captanda & indiganda ſunt, neque eo quo pervenire contendimus, ſemitæ adeo tritæ, ut non in ipſis tramitibus multa objiciantur, quæ euntem retineant morenturque. Ideoque omni laude digniſſimi, qui luculenta quæque priſcæ antiquitatis monumenta e fato eripiunt, inque lucem hominum aſpectumque publico commodo producunt. Quo nomine etjam hiſce noſtris temporibus, noſtraque in Patria aliquot egregiorum virorum induſtria navitasque, ſummis laudibus celebrari digna videri debet, qui hoc in genere ſtudiorum exercitati elimatique, nullis fracti laboribus, egregia quæque Antiquitatis Sveo-Gothicæ monumenta, e denſis tenebris feliciter

e-

eruunt, nec amplius veluti muta jacere ac delitescere patiuntur. Cujus studii, quæ quidem uti nobis videtur, liberalissima impensa est, præclarissimæque positæ industriæ, alia aliis majora & luculentiora specimina, indies non quidem sine oblectatione quadam recipimus, Nulla vero tam ingrata erit fama, nulla tam surda posteritas, quæ hanc tam egregiam publico navatam operam commendare nesciat. Cumque S. R. Majestati placuisse intellexerimus, quò hæc ante nominata studia Antiquitatis Patriæ felicius colantur ac frequententur, partem aliquam curarum de Collegio Antiquitatis nobis clementissime commendare, in id omnes ingenii industriæque nervos quam libentissime contendemus, quemadmodum & hæc antiquitatis studia feliciter vigeant & efflorescant, & Collegium tueamur, ac quibus modis cunque adjuvemus. Qua cogitatione quicquid fere veterum Ma-

nuſcriptorum in noſtra Bibliotheca reperiri potuit, id omne Academiæ Patriæ Upſalienſi jure proprietatis poſſidendum relinquere tranſcribereque voluimus. Quod etjam factum, hiſce adfirmamus, quamque teſtatiſſimum facimus. Quorum Manuſcriptorum codicum ope, ſi quid lucis adhiberi poterit vel ad hiſtoriam patriam, vel ad priſcam hujus gentis terræque linguam, vel ad antiqua monumenta, quæ noſtra ætas aut quoquo modo adhuc ſervat, aut vetuſtate ſenioque ævi conſumpta ac obliterata fere intercidere; ſcilicet eo ipſo nos id conſecutos eſſe quod hac donatione propoſitum nobis erat, haud dubie adfirmabimus vehementerque lætabimur. Sed & id ultro ſpondemus ac pollicemur, ſi quæ facultas adhuc futura ſit, aliis inſuper Manuſcriptis huic propoſito accommodatis, hæc ſtudia adjuvare gratam animi benevolentiam nobis haud defuturam. Titulos

los manuſcriptorum codicum, quos in Bibliothecam Academiæ Patriæ Upſalienſis inferri voluimus, viſum his ſubjicere, atque ut ab aliis quibuscunque diſtingui, faciliusque agnoſci queant, nomen noſtrum, & juxta numerum cujusque Codicis, in exteriori ejusdem membrana, qua tegitur, extare voluimus. Hic vero excipimus *codicem Argenteum*, quo comprehenſa ſunt quatuor Servatoris & Domini noſtri JESU CHRISTI Evangelia, eaque olim ab ULPHILA conſcripta perantiqua lingua Gothica. Cujus ſacroſancti Codicis in hac lingua hoc unum exemplum, uti quidem creditur, in vero Originali Orbis Chriſtianus adhuc ſervat. Cumque nullo numero hic ipſe Codex ſignatus ſit aut diſtinctus, igitur alia ratione a reliquis Codicibus eundem diſtingui fecimus; Scilicet propter reverentiam divino verbo debitam, adeoque Majeſtatem linguæ olim genti noſtræ terræque do-

domesticam, laminis argenteis obductum, in certa arcula huic rei apta ac accommodata, asservari voluimus. Sed hic est, cur nobis adeoque Patriæ omnino gratulemur, videlicet hunc nostrum Ulphilam quasi redivivum in Patria iterum comparere, qui varia forte jactatus facillime aut penitus interire potuisset, aut certe ad minimum nobis.

Igitur horum Manuscriptorum Codicum habetis primum hunc per quam desideratum
Ulphilæ Codicem argenteum, in quarto & in membrana.

II. Exemplum ejusdem Codicis argentei, *in Quarto.*

* *Exemplar & Copia* Codicis *hujus* Argentei, *iisdem literis Gothicis exscriptum est, ligatura & foliis deauratis. In incendio Upsaliensi apud Rudbeckium Seniorem A.* 1702 *periit.*

III. Historiæ Regum, alias Konunga Sagurne, lingua Islandica, fol. in membrana.

Non

* *Non antiqua modo lingua, sed literis etjam antiquis ante annos plurimos scriptæ, appellanturque* Konunga Sagurne *a materia subjecta; Continent enim Historiam Regum omnium Norvagiæ ab Haraldo Pulchricomo, ad mortem Suerronis Regis. Editæ nuper sumptibus & typis Illustrissimi Regni drotzeti Domini PETRI BRAHES, Comitis in* Wisingsborg, *&c. vertente illas in modernam patriæ nostræ linguam Dn. Jona Rugman Islando. Hic codex idem fatum cum altero subiit.*

IV. Fragmentum Historiæ Olai Tryggonii, Norvegiæ Regis, *fol. in membrana.*

* *Desideratur enim maxima pars hujus Historiæ, nec præter pagellam unam alteramve ex ea habetur, quas An. 1665. Upsaliæ edidit Cl. Olaus Verelius.*

V. Drama ἐρωτικὸν *fol. in membrana.*

* *Res continet amatorias, olim ad jocum concitandum; Islandica lingua scriptum.*

VI. Hiſtoria de quodam Eli, *in linguam Normannicam olim a Roberto Abbate converſa; fol. in membrana.*

* Juliani Ducis, S. Ægidii filii. *Juſſu Haquini Regis translata; ubi de Comite Wilhelmo & Roſemunda multa inculcantur.* Stephan. *Scriptum eſt fabuloſum antiqua lingua Islandica compoſitum.*

VII. Variæ Britannorum fabulæ, *fol. in membrana.*

* *Quas in carmina converſas olim, atque in conviviis ad citharam decantari ſolitas fuiſſe perhibent. Sunt autem Relationes de Guiamaro Equite Britanniæ Meridionalis, Æſkeliod Britannis veteribus dictæ; de nobilium duorum conjugibus, gemellos enixis; & id genus alia.* Stephan.

VIII. Regis Magni Hagenſons Lex Froſtonienſis, *vel* Froſtetings Lag, *ut* & * Hiſtoria S. Olai minoris, *Quarto in membrana.*

* *Vocatur* Froſtatings Lag *a parte Norvagiæ ſeptentrionali, ubi lex iſta in uſu fuit. habuere namque Norvagi diverſas diverſis locis leges ut olim in Suecia*

ria. Sic Gulatings Lag *ad aliam pertinebat Norvegiæ partem.* * *Historia illa S. Olai filii Haraldi* Grônskes, *minor sive brevior est altera illa, lingua pariter & Stylo Islandorum scripta.*

IX. Corpus Juris Islandici *vel* Islands Lagbook *Lingua Islandica, Quarto in membrana.*

* *Exemplar pretiosum & undiquaque integrum ac absolutum. Præfixum habet confirmatoriam Regis Magni, filii Haquini Suerresons. Ad calcem plurima habet Statuta & Rescripta Erici Magni, Haquini Magni & Margaretæ &c. ut & Indicem capitum & rerum copiosum.*

X. Grettla, *sive* Historia Gretteri Asmundi, *lingua Islandica, perantiqua, Quarto in membrana.*

* *Codex ætate & scriptura antiquissimus.*

XI. Edda & Scalda, *lingua Islandica, Quarto in membrana.*

Edda Islandorum, *fons & fundamentum fabularum est, unde veteres ejus gentis Poëtæ obscuras rerum appellationes, & copiosos poëticæ elegantiæ*

modos

modos desumserunt, conscripta per Snorronem Sturlæsonium, Islandiæ Nomophylacem. *Estque ars ex antiquissimis ingeniosorum hominum fabellis, varieq; adinventis rerum appellationibus constructa, docens Norvagicam Poësin vulgo obscuram, sapientibus tamen auditu jucundam & artificiosam. Codex vetustissimus & Antiquariis nostris*, Scheffero, Rudbeckio, Verelio, *sæpius laudatus.*

XII. Pars aliqua de Knittlinga Sagu, *lingua Islandica cum versione Latina.*

Item, quidam

Discursus seu Lang Fådga taal, om nackura Danmarkur og Noregz. Konga. *Eodemque volumine nonnulla de Edda Islandorum*

* Daniam quoad Episcopatus *suos & numerum Ecclesiarum breviter describit: habetque juxta se Genealogiam Regum & Principum Christianorum in Dania. Pagellis duabus.*

* *Breviter complectens quid contineat Edda, ejusque materia quæ sit & quod institutum.*

XIII. De Chronico Norvagico *aliisque* antiquitatibus, *literæ Arngrimi*

Jonæ

Jonæ Islandi ad D. Olavum Vormium.
Quarto.

* Snorronis *puta* Sturlefonii *nuper edito, ut & de voce* Skioldunga & Skioldunga Wifur, *h. e. Carminibus seu Rhythmis, agentibus de Regibus Norvagicis, quos fusius hic explanat.*

XIV. Knittlinga Sagu, five Tractatus continens Hiſtorias Regum quorundam Daniæ & Norvegiæ; *ex Islandica in Latinam linguam converſus, ab E. M. Isl. An. 1640 in Quarto.*

* *Incipit hæc Hiſtoria a Rege* Svenone Eſtrifon *filio* Baronis Wlff. *usque ad obitum Regis Waldemari, qui filius erat Canuti Ducis.*

XV. Hiſtoria de quodam Haquinio *in Quarto.*

* Hareki *villici opulentiſſimi, in Wikene ut vocant, Norvegiæ auſtralis parte, habitantis, filio.*

XVI. Relatio Hiſtorica de rebus Islandicis *Quarto.*

* Brynolphi Suenonii *in qua quid veri, quid falſi, in deſcriptionibus hujus Inſulæ præſtantiſſimi Geographi, Gerardus Mercator, & Jodocus Hondius prodi-*

prodiderint, strictim expenditur. Scripta in Scalholt Australis Islandicæ parte An. 1647. 15. Jul.

Contenta libri sunt. I. Nomen & Etymon Islandiæ. II. Islandia an veterum Thule sit. III. De situ Islandiæ. IV. De aëris conditionibus. V. De graminis proventu. VI. De animalibus. VII. Sylvæ in Islandia nullæ. VIII. De Imperio Norvagico in Islandos. XI. De Episcoporum potestate. X. Islandia quando habitari cœpta. XI. Quod nullius Regis in Islandiam fuerit expeditio. XII. Quod in quadrantes distinguatur. XIII. De fontibus prodigiosis. XIV. De piscium copia. XV. De montibus ignivomis. XVI. Hecla mons ejusque descriptio. XVII. De larvis & lemuribus. XVIII. De animis defunctorum. XIX. De glacie. XX De Sulphure. XXI. De habitaculis in cavernis montium. XXII. De Cœnobiis. XXIII. De victu & moribus Islandorum.

XVII. Speculum Regale, *lingua Islandica. Octavo.*

XVIII. Idem Speculum Regale *in linguam Danicam conversum a Stephano Johannis Stephanio. Quarto.*

XIX.

XIX. Riddara Christian Frijs Drapa.

* Christianus Friis *erat unus ex Magnatibus Daniæ, Regi proximus, &* Cancellarius, *natione Scanus; de cujus virtute carmina sunt Islandica lingua concinnata, quæ in hoc codice paraphrastica interpretatione alicujus Islandi, ad verbum latine exponuntur.*

XX. Liber quidam Rhythmicus, eller Dansk Rimbok, lydandes om Danska Konungars Lefwerne och Bedrifter, alt ifrån Dan til Konung Friedrich then andra. Quarto.

* *Alius plane est ab illo Haffniensi exemplari, quod anno 1495 impressum.*

XXI. Annales Grœnlandiæ *lingua antiqua in octavo.*

* *Continent breviter ea, quæ a prima occupatione Grœnlandiæ per Norvagos An. 986 ad annum usque 1473. gesta sunt; nec non memorabilia quæque de statu populi istius Ecclesiastico, Politico & Oeconomico. vixit Auctor hic circa annum 1623. ut propria manu notavit Stephanius.*

XXII. Otfridi liber Evangeliorum, *sive* Evangelien Buch in alt Franc-

ki-

kischen Reimen, *impressus Basileæ An. Christi 1571 in Octavo.*

XXIII. Ægidius Romanus in libros Elenchorum *lat. Quarto in membrana.*

* *Ad Antiquitates Patriæ hic quidem Auctor non pertinet, sed cum antiquo eleganti que stylo An. 1293 in membrana consignatus sit, conservari publice inter Antiquitates meretur.*

XXIV. Descriptio Norvegiæ, Islandiæ, & Grœnlandiæ, *lingua Danica fol.*

* *Titulus Danica lingua præfixus est talis:* Norgis, Islandz, oc Grœnlands beskrifwelse, Landzens deiligheed, oc folkens brug, oc huorledis mand skal finde Grönlandet. *Reperiuntur duo adhuc opuscula, eidem volumini adnexa,* 1. Om Bergens fundats och herligheed oc om fordumb Köpstäder udi Norge, som er nyligen sammanskrifwen pa Danske An. 1581. Den andre Bog i denne *Tractat* är om Tydskernes framgang och Borgernis nedertröckelse. 2. En liten Underwisning om Findmarken oc des handel.

XXV. Chronologiæ Danicæ systema *varias* rerum Danicarum chrono-

nologias, *ex diversis codicibus manuscriptis aliisque monumentis antiquissimis collectas, & in unum volumen redactas*, repræsentans: *opera & studio Stephani Johannis Stephanii. fol.*

* Systema sive corpus variarum Chronologiarum merito *dici potest quæ sub numeris XXV, XXVI, XXVII, XXVIII, XXIX, comprehenduntur, ut ex sequentibus patebit. habentque* tam Suecica & Norvagica, quam Danica, *etiamsi Danicarum rerum præ se ferant titulum.*

Num. 25 Chronologica *continet* opuscula bina *ex antiquis membranis Bibliothecæ Haffniensis, manu Stephanii exarata, incerti tamen auctoris.* Primum *ab An. Christi 821 ad 1300* secundum *ab An. 826. ad 1157.*

XXVI. Chronologia rerum Danicarum *ab anno Christi* CIↃXXVIII *ad annum* CIↃCCCLXIII. *incerti auctoris in fol.*

* *1. Ex Codice Manuscripto Reg. Bibliothecæ Haffniensis, cui titulus:* Antiquitates rerum Danicarum *a Canuto tertio ad Margaretam, h. e. ab Anno 1028 ad 1368. sign. A. 9.* Hoc

Hoc chronicon edidit Lipsiæ A. 1695. in Octavo Doct. ARNAS MAGNÆUS hoc titulo: Chronologia Danorum & præcipuæ Sialandiæ *&c. ex eadem membrana, ex qua hoc exemplum exscriptum est. Substitit vero* MAGNÆUS *ad A. 1307. cum tamen noster codex, qui in aliis etiam plurimis ab impresso differt, ad A. usque 1363. progrediatur.*

2. Chronologia rerum Danicarum secunda, *auctore Cornelio Hamsfortio Cimbro, ab An. Christi 687 ad An. 1448. ex codice Manuscripto Biblioth. Reg. Hafn. sign. E. 32.*

3. Chronologia rerum Danicarum *incerti auctoris, ab An. 1188. ad 1319. ex codice* Biblioth. *Reg. Hafn. sign. E 32.*

4. Alia incerti auctoris, *ex antiquiss. codice Manuscripto Biblioth Hafn. cui titulus:* Veriloquium vetus, *insign. E. 42. ab. an. 936. ad tempora Birgeri Regis Sueciæ 1317.*

Sic ex eodem codice Num 5, 6, 7, 8, 9. additæ sunt, Quinta *nempe ab An. 881. ad 1006.* Sexta *ab An. 1246. ad 1265* Septima *ab An. 1131. ad 1325.* Octava *ab An. 1249. ad 1282.* Nona *annorum Chronologiam describit ab 1275 ad 1347.*

10. Ex

10. *Ex vetustiss. Manuscripto Codice in membrana, qui fuerat olim Monasterii D. Petri Nestvediensis. incipit ab An. 1130 desinit 1228.*

11. *Ex Justini Manuscripto, qui Bibliothecæ quondam fuerat S. Mariæ de Sora, cui ad calcem adjuncta erat hæc Chronologia, annum primum habens 1202 ultimum vero 1347.*

12. Incerti auctoris (*sed, ut videtur* Sueci *cujusdam*) *ex vetusto codice Reg. Biblioth. Haffn. Manuscriptus cui titulus.* Varia Documenta Antiquitatum Danicarum *sign. Merc. Extat hæc eadem Chronologia in Codice Manuscripto ejusdem Biblioth. sign. A. 9. ubi ad calcem descriptam fuisse legitur ex libro Georgii Gylthe: orditur ab An. 826. finit. An. 1415.*

(*Chronicon hoc inter Monumenta ecclesiæ Veteris Svio-Gothicæ edidit B. ERICUS BENZELIUS a. p. 81. ad p. 97.*)

13. *Ex Manuscripto in membrana codice, in Biblioth. Stephanii servato: annos habet, qui inter 1088 & 1323 elapsi sunt.*

14. Alia, auctore Nicolao Johannis filio, *Archiepiscopo Lundensi, ex Ma-*

nuſcripto in membrana Codice, Nobiliſſ. olim Dn. Arvidi Huitfeldii. ab An. 1104. ad 1467 exſcripta.

15. *Ex vetuſtiſſ. codice membranaceo Manuſcripto Biblioth. Hafn. ſign. A. 9. ab An. 777. ad 1307.*

Sic Num. 16, 17, 18, 19, 20. varia Chronologica *incerti auctoris, in vetuſto Cod. Manuſcripto Biblioth. Haffn. ſign. A. 9. inventa ſunt.* Primum *horum eſt ab An. 1241 ad An. 1410.* Secundum *ab An. 1250 ad 1286.* Tertium *ab An. 1295. ad An. 1520.* Quartum *ſeu 19. ab An. 1130. ad annum 1300* Quintum *ab An. 1274. ad An. 1497.*

21. Anonymi Chronologia rerum Danicarum *ab An. Chriſti 1046. ad An. 1555. Ex Cod. Manuſcripto Stephanii.*

22, 23, 24, 25, *Ex antiquiſſimo in membranis ſcripto Diario fratrum Minorum in Wisby Gothlandiæ.* Primum horum continet res *ab An. Chr. 1444. ad An. 1479.* Secundum *ab an. 686 ad 1410.* Tertium, ſcil. *Num 24. ab An. 834. ad 1287.* Quartum, *ſeu 25, complectitur tempora ab an 1214. ad ejusdem ſeculi An. 1252.*

XXVII. Chronologia *Islandico Latina in folio.*

Varia

* Varia continet tam externa Romanorum Imperatorum & Pontificum, quam domeftica Daniæ, Norvegiæ & Islandiæ, *ab An. Chrifti 740. ad An. 1295. unoque corpore comprehenditur cum fuperiori proximo, Eftque ordine vigefimum fextum, quod ex cod. membraneo antiquiff. defcripfit & communicavit M. Brynolphus Suenonius Islandus Epifcopus Scalboltenfis.*

XXVIII. Collectanea Chronologica *ex Calendario M. Martini Petrei, quondam Abbatis Sorenfis, excerpta fol.*

* *Sveco-Danico-Norvagica continens, fuis menfibus, quibus gefta funt fingula, expofita.*

XXIX. Chronologia Danica, cum facra & profana *aliarum gentium, collata, a primis Regni Danici incunabulis a* M. Nicolao Petreo Præpofito Meonienfi *inchoata, per* D. Cunradum Aflacum *S. S. Theologiæ Profefforem in Academia Hafnienfi deducta, & ab* Olao Wormio *in annum 1648 continuata fol.*

* *Res etjam plurimas Suecorum continet, quæ iis cum Danis interceffere.*

[*Hæc Chronica, quæ num.* XXV. XXVI. XXVII. XXVIII. XXIX. *absolvunt, res septentrionis, multis retro temporibus, exponentia, ex variis Daniæ Bibliothecis, summo studio collegit doct. Saxonis commentator,* STEPHANUS JOH. STEPHANIUS, *atque* Systematis Chronologiæ Danicæ *titulo insignivit. Pervenerunt vero in nostras manus A. 1660, quo Stephaniana Bibliotheca Sora Stockholmiam asportabatur. Meminit systematis hujus doctiss.* GRAMMIUS *in erudita Præfatione ad* CRAGII *Historiam Christierni Secundi, his annis evulgatam, p. 74. tanquam Stockholmiæ adhuc latentis: atque vehementer dolet, neminem in tota Dania inventum fuisse, qui tantum thesaurum redimere voluerit. Loquitur porro de illo edendo Rev.* BENZELIUS *in doctis prolegomenis ad monumenta Ecclesiastica, quibus ejus tantummodo particulam, ut monuimus, inseruit Conf. Proleg. p.* XXI. SIBBERN *Bibl. Hist. D. N. p. 95.* MOLLERI *Hypomn. ad Scheff. S. L. p. 411. atque adeo re-*

reliquæ partes, si modo Chronicon Sialandicum per MAGNÆUM, Lipsiæ editum, exceperis, docti cujusdam viri curam adhuc desiderant.]

XXX. Antiquitates Monasterii Sorensis, *fol. eodemque volumine* de Schola Regia Sorensi *&* *de* Grœnlandia.

* *Antequam eas exponit, duabus pagellis alia habet;* priori *quidem* Pontifices Rom. *enumerat ab An. Chr. 1159 qui sederunt a prima Monasterii Sorensis fundatione ad An. 1605.* Nomina *item* Episcoporum Sorensium, *qui in vetustis membranis sub certo die reperiuntur:* Altera *vero Catalogum habet Abbatum Sorensium, ex vetustis litterarum ac Diplomatum membranis.* Antiquitates *autem* Monasterii *Sorensis consistunt in ejus fundatione, Diplomatum Privilegiorumque enumeratione, & ejusmodi aliis. Quod de Grœnlandia habet fragmentum, ex alio est codice, cujus primæ paginæ desunt, remanentibus solum, quæ ad Grœnlandiam pertinent, Danice consignatum.*

XXXI. Theoderici Monachi Historia *de* antiquitate Regum Norvagicorum.

Ab

* *Ab* Haraldo Pulchricomo *ad Haraldum Hibernienſem, capitibus 34.*

XXXII. Deſcriptio itineris Hieroſolymitani, religionis cauſſa olim ſuſcepti. *fol.*

XXXIII. Fundatio Academiæ Haffnienſis *ejusdemque* Statuta & Privilegia. *Eodemque volumine* Fundatio Friſiorum; Fundatio Collegii Walchendorphiani: Fundatio Scholæ Herlovianæ *&c. in fol.*

XXXIV. Hiſtoria S. Canuti *Ducis & Martyris fol.*

Ducis Slesvicenſis *filii Erici Egod. Latine compoſita.*

XXXV. Brevis enarratio eorum, quæ tam in Pacificatione quam terreſtri bello inter Suecos & Danos geſta ſunt & transacta An.Chr.1565.

XXXVI. Chronologia ſacra & profana, *incerti auctoris; fol.*

* A Judicum *temp. ad Cæſares Rom. omnia ex ſacris enumerat. Deinde Cæſares & Pontiff. Romanos: poſt aliqua de rebus Danicis; & ultimo* Genealogiam

Re-

Regum & Principum Septentrionalium *ab ipso* Odino deductam proponit.

XXXVII. Danorum gesta post Chronica Saxonis, a Petro Olai Minorita Roschildensi. *fol.*

Continuatio rerum Danicarum *est a* tempp. Saxonis *(An. 1191) ad Fridericum II. superiori seculo viventem. Latine scripta.*

XXXVIII. Johannes Georgius Sadolinus de Danorum Regibus, *libris VII. fol.*

* Opus historicum latine conscriptum, *in fine mutilum: absunt nempe omnia quæ post tempora Christophori Regis hic idem scripserat.*

XXXIX. Varia antiquitatum Danicarum documenta, *præsertim* de Othoniensis Ecclesiæ Privilegiis ac immunitatibus, *cum variis bullis pontificiis, fol.*

* *Titulum liber a Stephanio talem præfixum habet:* Hæc sunt Rescripta Privilegiorum Sanctæ Othoniensis Ecclesiæ, quæ de sua dignitate & libertate ante incendium habuit. *Prima bulla est Paschalis Episcopi, scripta Anagniæ*

gniæ An. Chr. MCXVII. regnante in Dania Nicolao, An. Pontificatus sui XIX. Episcopo Othoniensi Hubaldo.

XL. Antiquitates rerum Danicarum, *colligente M. Johanne Petrejo, Horsnensi, quondam Canonico Arbusiensi.*

* Variarum rerum sunt collectanea *ad historiam Danicam pertinentia, ab An. 1133 ad An. 1612.*

XLI. Hofue Lausnar wijsur Eigelz Schalla Grimsonar. *lingua antiqua fol.*

* *h. e.* Λύτρα sive cantilena, *qua caput redemit Egillus Grimi Calvi filius: cum Commentariis Bioernonis Jonæ filii de Skardsa.*

XLII. Fundatio Scholæ Trivialis Friderico-burgensis *fol.*

* *A Friderico II. Rege Daniæ An. 1586. 31. Maji.*

XLIII. Poëmata sacra, Petri de Riga *Lat. Quarto in membrana.*

* *Super plurimos* Sacri Codicis libros *contexta. Claruit hic auctor paulo post. An. 1100, de quo vid. Barth. adversarior. lib. 31 cap. 15.*

(*Plurima hujus Poëtæ carmina, quæ hoc codice continentur, adbuc inedita sunt.*)

XLIV.

XLIV. Anonymi compendium Historiæ Danicæ Quarto.

* *Latine, antiquo ſtylo ſcriptum, incipiendo a I. Rege Dan, ſubſiſtit in Waldemaro Chriſtophori filio 1340, quo tempore conſcriptum videtur. Sunt adhuc plura in hoc codice opera, puta* Legum Scaniæ antiqua verſio Latina, *manu antiqua:* Statutum Waldemari Regis *Daniæ &* Jus Eccleſiaſticum *Latine translatum.* K. Knut Waldemarſons och Archiebiſkop Abſalons Widerlags Rått. Leges *datæ a* Rege Chriſtophoro, *ex conſilio meliorum Regni in* Nyborg de Crimine læſæ Majeſtatis, *& alia nonnulla.*

XLV. Epiſcoporum Eccleſiæ Lundenſis ſeries, *una cum rerum maxime memorabilium notatione, initio facto a prima Chriſtianismi in Daniam introductione. Quarto.*

* *Latine. addita eſt ſub finem* narratiuncula de reformata per Daniam religione & Superintendentibus Scaniæ, *qui Epiſcopis ſucceſſerunt. Collectore Magno Matthiæ, Theol. Lect. & Canon. Lund.*

Edi-

(*Manuscriptum Latinum, Ipsius Auctoris manu exaratum Lutetiæ Parif. An. 1566. mense Novembri.*

Fuit PETRUS MARSILIUS, *gente Bituricensis, Erici XIV. Regis Sveciæ Latinus Secretarius, qui præter hoc scriptum perbreve, quod Parisiis, postquam Sueciam reliquerat, contexuit, contra Danos aliud etiam scriptum, juris consultorum more, ut in libello ad Regem supplici fatetur, composuit. De hac vero historia ita in præfatione ad* MICHAELEM HOSPITALIUM *Cancellarium Galliarum Regis, auctor loquitur:* Cun intermissis jurisprudentiæ studiis, totum fere septennium variis regionibus perlustrandis impendissem, earumque moribus & linguis mediocriter cognitis, nuper autem ex illis ad septentrionem sitis Regionibus, in patriam rediissem, ei quidem pro ingenii facultatula quatenus prodesse possem si specimen a me aliquod, primo quoque tempore præberetur, opere precium facturum me existimavi. Mihi itaque prius quam paternos in Biturgia lares inviserem, per hosce aliquot dies, ex trimestri mei reditus itinere respiranti,

visum

vifum eft, fingulari quodam argumento, hanc qualemcunque hiftoriam, quantum eorum, quæ vidi & legi memoria confequi potui, confcribere &c. *Hiftoriam Regum Sueciæ idem, mandato Erici, quinque voluminibus deducere, conftituit. Cui operi ut eo majorem adquireret fidem, extra Sueciam, dum confummaret, vivere voluit. vide de hoc negotio Marfilii ad regem epiftolas apud Nob. PALMSK.)*

L. Varia Chronologica *&c. Quarto in membrana.*

* Primo Sacra Bibliorum *ab Adam ad Chriftum; deinde* de nativitate Domini, paffionibus Apoftolorum *& officiis Miffarum aliqua fubnectuntur; poft* reges Danorum enumerantur *ad Chriftophorum Erici filium, in quo fubfiftit. Denique* Chronologiam habent rerum Danicarum *ab An. 520. ad An. 1323. quo tempore hæc etjam fcripta videntur.*

LI. Defcriptio redituum Epifcopi Rofchildenfis, [Bifpens Jordebook af Rofkild] *fcilicet hic liber complectitur brevem quandem defignationem omnium redituum ac decimarum in Selan-*

landia, Meonia & Rugia insula, ad cathedram Episcopalem Roschildensem pertinentium, simulque leges & statuta civitatis Haffniensis, olim edita per Episcopum Roschildensem.

Quarto in membrana.

(Ex hoc codice nonnulla, quæ insulam Landt-Rügen respiciunt exscripsit & Actis Literariis Sueciæ inseruit Reverendissimus & sæpe laudatus WALLINUS.)

LII. Regum Danorum series, *quorum tempora annorum reperiri potuerunt.*

* *Manuscriptum Latinum, auctore Cornelio Hamsfortio Cimbro, ut ex dedicatione apparet. An. 1585.*

LIII. Fundatio Soræ *Anno 950. Eodemque volumine* Traditiones vanæ de rebus antiquis, *lingua Danica, item*, Annales Monasterii Sorensis, *ut & nomina* Præsidum, Rectorum, Pastorum, *&c. Scholæ regiæ Sorensis. in Quarto.*

* *Quatuor prima folia ad eam pertinent; succedunt* Chronologica nonnulla de rebus Sueo-Danicis, ab Ansgarii temp.

tempp *An. 808. ad An. 1568 continuata. Annales vero Monasterii Sorensis consignavit Steph. Stephanius An. 632.*

LIV. Historia Erici V. *Danorum ac Sclavorum Regis.*

* *Non* Erici *tantum V. historia, sed etjam* Canuti VI. *Regis Danorum; utraque a Willichio Westhovio Cimbro formata An. 1621. Ordine prior est Canuti historia, seculo 1182 viventis: posterior Erici qui ad imperium An. 1242. devenit.*

LV. Glossarium priscæ linguæ Danicæ, *confectum a* Magno Olai Islando *An. 1636. & manu Stephanii descriptum in Quarto.*

LVI. Tractatus Astronomicus, *h. e.* Eeen Bucke van Astronomen en van Naturen, ende van 7 Planeten op Hollandsche Rimen.

LVII. Relatio historica de Rege Christierno. *Danice, in Quarto; eodemque volumine*, Constitutio Friderici II. Regis de Sponsalibus *aliisque ad rem matrimonialem spectantibus, in Quarto: item* Exemplum Epitaphii Reginæ

E-

Elisabethæ *e Regno dejectæ*, *tandemque mortuæ & Gandavi Flandrorum sepultæ;* Privilegia Universitatis Haffniensis, a Friderico II. Rege Danorum, confirmata, *lingua Danica.*

* a. *1582 dat.* b. *ubi est constans folio uno cum dimidio.*

LVIII. Actus coronationis Annæ Scotiæ Reginæ, Regisque Friderici II. filiæ, *cum aliis eo spectantibus Danice*,

LIX. Leges militares & nauticæ Friderici II. *certis capitibus, seu articulis comprehensæ, ut & alia miscellanea. Ad calcem libri*, de Navigatione Martini Forbisseri Angli, meridiem versus & Septentrionem: *omnia quidem lingua Danica in Quarto.*

LX. Leges Jutiæ, *h. e.* Den rette Judske Lowbog, *Anno 1598, descripta in Octavo.*

* *Codex hic ante annos 200 scriptus præfixum habet titulum manu recentiori consignatum. In calce sequentia reperiuntur statuta*, K. Erik Kristofferson Lagh *1284* i Nyborg.

Cor-

Correctiones certorum articulorum Legis Waldemari, *quas* Tord Degen *Legifer Jutiæ composuit ex consensu meliorum Regni, in Parlamento Danorum in* Nyborg *&c. Artic.* 83. *Latine.*

K. Christierns Handfäst. som ligger i Wisby beseglat. 1467.

Constitutio prima Regis Daciæ, filii *Christophori in* Nyborg. *Danice* Huru man skal dele Jordegods för Rigsens Cantzeler. &c.

LXI. Leges Danicæ, latine *in membrana Octavo.*

* Jutiæ Leges *sunt antiqua manu.*

LXII. Leges Danicæ, lingua Danica *in Octavo.*

Leges Selandiæ veteres, scriptæ 1499

LXIII. Quatuor Domini nostri JESU CHRISTI Evangelia *in folio, & in membrana, Latine.*

Ante aliquot secula scripta, ut ex vetusta manu apparet.

LXIV. Libri decem Alexandreidos, *in Quarto in membrana.*

Exemplar valde antiquum, explicatione interlineari ad marginem posita.

LXV.

LXV. Codex quidam vetustissimo charactere Sinensi.

Hos igitur Manuscriptos Codices recipite, *Viri plurimum Reverendi Clarissimique*, animi nostri in Academiam Patriam, adeoque studia honestatis pignus, eosque usibus publicis servate; in hoc vero evigilaturi, quod sponte vestra facturos haud dubitamus, quemadmodum Academiæ, Patriæ & Vobis qui h. t. Academiæ summa cum laude præestis, adeoque Posteritati serventur integri incorruptique; hoc est; nihil eorum vel incuria custodum Bibliothecæ publicæ, vel alio quoquo modo intercidat. Quibus nostram hoc de negotio plenissimam voluntatem, jam verbis non ambiguis sed perspicuis significandum censuimus, jusque plenissimum hæc volumina quiete possidendi, sibique habendi Academiæ Patriæ Upsaliensi cedimus ac transcribimus. Ita quidem, ut a nobismet ipsis nostrisve

 legi-

legitimis heredibus sive h. t. viventibus, sive futuris temporibus, quod Deus clementissime velit, victuris, ea omnino abalienemus, nemini que integrum esse queat, ea quacunque ratione, jureve quocunque repetere, sibiq; vindicare. Quæ quidem nil attinet pluribus cumulare verbis: neque enim dubitamus aliquem nostrorum eo improbitatis protervitæve processurum, ut huic nostræ voluntati intercedere difficultatemve adferre sustineat. Et cum ipsi hæc volumina diversis temporibus variisque ex terris, (nec id quidem absque omni cura molestiaque); nobis acquisiverimus; igitur, quo Academia Patria Upsaliensis de jure rei nunc suæ certior sit ac securior, rogamus, qua par est reverentia ac submissione, Sacram Regiam Majestatem, hoc jus Academiæ omnino cessum, adversus quoscunque turbatores, auctoritate Regia tueri, integreque eidem clementissime

fime conſervare dignetur! Utque hoſce antenominatos Codices ea voluntate, quam ſupra expreſſimus, eoque jure, quod dominii vel proprietatis vocant, Academiæ Patriæ Upſalienſi dono datos eſſe inque Bibliothecam ejusdem mandato noſtro relatos, ſcilicet majorem in fidem horum omnium, hiſce ſubſcripſimus, noſtramque Teſſeram gentilitiam juxta appendi fecimus. Holmiæ die decima octava Januarii. Anno æræ Chriſtianæ Milleſimo Sexcenteſimo Sexageſimo Nono.

MAGNUS GABRIEL
DE LA GARDIE.

§. XXII.

Fuit Upſaliæ, circa initia hujus ſeculi, par nobile fratrum, qui ſe totos Septentrionis antiquitatibus enucleandis devoverant. SALANOS intelligo PETRUM & JO-

HANNEM, quibus nonnulla Islandorum monumenta luci exposita debemus. Est horum prior, quem amici nomine indigitat RUDBECKIUS pater, cujus dexteritate in Latina translatione Atlantices se usum fuisse profitetur. Salani cum omnem curam ad Islandica monumenta illustranda componerent, optimum etiam ejusmodi codicum adparatum sibi compararunt, Cel. HICKESIO in thesauro rerum septentrionalium plurimum laudatum, quem, possessoribus præmatura morte peremtis, Upsaliensis Bibliotheca A. 1717. modico pretio, redemit.

§. XXIII.

Ulphilanum codicem, qui inter Delagardianos agmen ducit, cum crisi describere, nostri nec est instituti nec judicii. Ipsius tantum dabimus historiam, quam a viris doctis, qui de illo egerunt, prætermissam intelleximus. Est codex in quarto, membrana rubra, aureis vero

ro

ro argenteisque literis majusculis exaratus. Sine interpunctionibus continuatur verborum series. Initia tamen narrationum diversarum majoribus literis expressa sunt. Intra textum quatuor armata frontispicia, singulis paginis, conspiciuntur: Sectiones vero plerumque Eusebianis canonibus respondent. Membranæ laceræ sunt & excesæ multis in locis, neque paginarum servant ordinem, quod antiqui compactoris incuriositati est adscribendum. Continet fragmenta quatuor Evangeliorum, Gothica, ut putant, lingua, tali quidem, quali usi sunt majores nostri in Mœsia, quarto post Christum seculo, viventes. Sint licet, qui in illo *Græca, Sarmatica, Scythica, Burgundica, Danica, Fennica, Germanica* vestigia se deprehendisse existiment. Atque inde adeo in partes de patria auctoris itum est, ut singuli fere Europæ populi eum sibi vindicent, Antiquissimum codicem

esse, & in usum Alarici Tolosani, multo sumtu descriptum Doct. WACHTERUS, in aurea præfatione ad Germanos Glossario præmissa, ex GREGORIO Turonensi autumat. PAPEBROCHIUS idem bibliorum exemplum esse suspicatur, quod VALENS imperator, FRITIGERNO Regi, fœderato suo, suaque opera ad Christum converso, dono misit. Delituit plurimo tempore Coloniæ, paucis cognitus, in bibliotheca Abbatiæ Werdinensis. Ubi primum, quantum mihi constat, illum observavit Anno 1597 ANTONIUS MORILLON 38), qui ex eo particulas nonnullas commentariolo de Literis Gothicis, per BONAVENTURAM VULCANIUM, hoc anno edito, inseruit. Eodem in cœnobio illum paulo post observavit ARNOLDUS MERCATOR,

38) VULCANIO ut auctori hic libellus perperam adsignari solet. Conf. COLOMES. Bibl. Select. p. m. 474.

TOR, unum vel alterum textum exſcribens, quem pulcerrimo inſcriptionum opere JANUS GRUTERUS exhibet. Qui tamen librum ipſemet non vidit, ſed ſchedulis laudati MERCATORIS, filii beneficio communicatis, ſe uſum fuiſſe profitetur. Cæterum manente ſub FRIDERICO quinto bello Bohemico, Pragam translatus eſt, inter alia cimelia, Ulphilanus codex, cumque ibi illum offenderet KÖNIGSMARCHIUS, expugnatione hujus urbis celebris, CHRISTINÆ miſit, cum ingenti impreſſorum copia. Sed Regina literatorum non minor quam literarum amans, ISAACUM VOSSIUM, Bibliothecarium ſuum illo donavit: qui in Hollandiam ſecum transvectum, apud ſe detinuit, usque dum illum nanciſceretur FRANCISCUS JUNIUS, cujus opera deſcriptus & illuſtratus, prima vice lucem aſpexit. Hinc, cum diſtraheretur Bibliotheca Voſſiana, 2000

aureo-

aureorum pretio, redemtum, MAGNUS GABRIEL DELAGARDIUS Sveciæ restituit. Atque cum vili antea operculo tegeretur, Argenteo inclusit. Unde Argenteum dici, falso sibi persuaserunt multi 39), cum Argentei codicis nomine jam Anno 1597. notus fuerit, neque tam ab ligatura, quam literis argenteis titulum sortitus sit. Quomodo etiam vetus Evangeliorum codex Latinus deauratis exscriptus literis, ERASMO alicubi aureus dicitur. Edidit ex hoc codice Ulphilanam Evangeliorum versionem FRANCISCUS JUNIUS Dordraci Anno 1665. in quarto, THOMÆ MARESCHALLI observationibus & Glossario dilucidatam. Quam editionem post sexennium excepit Stiernhielmiana Stockholmiæ, quæ Junianam in omnibus sequitur, ed nomi-

39) M. de La MOTRAYE Voyages T. II. p. 316. Conf. TENZELII Coll. Menstr. A. 1691. p. 631.

nomine tamen illa inferior, quod textum non suis, hoc est Ulphilanis, sed Latinis typis exprimat; quem defectum erudita præfatione, de linguarum genesi, (quæ tamen clero regni non arrisit, cum Præadamitarum conditoribus assentiri ipsis visa sit) & lexico pulcerrimo supplevit STIERNHIELMIUS 40). Has editiones, quæ jam rarescunt, contulit cum codice ὁ μακαρίτης BENZELIUS. Atque perspiciens, viros, cæteroquin literatissimos, multa aliter legisse, plurima omisisse, quin etiam nonnulla supposuisse, quæ in manuscripto non deprehenduntur; ut ipsemet nos docuit in præfatione ad Lexicon An-

40) Tres numerant Ulphilanæ versionis editiones: 1. Dordraci A. 1665. 2. Amstelædami 1684. 3. Stockholmiæ A. 1672. Ast observandum est, Bibliopolas Batavos, fraude illis usitatissima, titulum libri tantum renovasse mutato impressionis loco & anno.

Anglico-Svethicum SERENII, de nova Ulphilani textus editione cogitavit. Eo igitur fine lacunas resarcivit, ficta resecuit, voces male lectas restituit, Latinam versionem, quæ textum *κατὰ πόδα* sequitur, suasque observationes adjecit Vir immortali laude dignus. Quos labores ante plurimos annos promissos consummatosque, avide orbis eruditus jam diu expectat. Sed cum nisi Oxoniæ, ubi, in theatro Sheldoniano, typi Ulphilani a Junio fusi, servantur, adornari nova hæc editio non possit, res tarde nimis procedit. De quo etjam sæpius ipse conquestus: quin in epistolis ad D. FABRICIUM A. 1721. in Angliam quantocius se iturum scribit, ut propositum eo felicius persequatur. Sed publicis postmodum Regni & Ecclesiæ negotiis districtus senioque confectus, huic operi vacare non potuit. Tandem morte præventus hæredibus perficien-

ciendum reliquit. Nuper autem audivi a Viro quodam erudito, ab Anglia reduce, opus superiori anno inceptum & ad tertium caput Evangelii S. Marci perductum esse.

Translationem hanc χρήσιν novi fœderis plurimum illustrare, dudum observatum est. Cum interpres studiosissimus fuerit Græci textus, neque ab Hieronymiana versione sed fonte Græco illam derivaverit. Antiquitatem vero ejus tum a doxologia dominicæ orationis, quæ in illa comparet, nec in ulla translationum vetustarum legitur, tum a consensu ejus cum versionibus latinis S. Hieronymo antiquioribus, USSERIUS, MARESCHALLUS, SAUBERTUS, alii, demonstrant.

§. XXIV.

Dignus etiam est, qui paucis describatur, Rålambianus codex Græcus, quem ab illustri possessore CLAUDIO RÅLAMBIO hoc

ple-

plerumque nomine inſignire eruditi ſolent. Eſt vero chartaceus atque duorum voluminum in Octavo, ut dicunt, majori. Medio decimi quarti ſeculi ſcriptus videtur, plurimorum opera; cum ſtilus varius & ſibi non ubique ſimilis ſit. Plurima certe continet, quæ vel ex ipſo edita ſunt, vel obſtetricantes doctorum manus adhuc deſiderant. Illum RALAMBIUS adeptus eſt, dum Byzantii, Sveciæ Regni negotia curaret; quod in dedicatione præmiſſa Ariſtidis *πρεσβευτικῷ πρὸς Ἀχιλλέα*, indicavit D. NORRMANNUS, cujus ſane merita in hunc codicem eximia ſunt; utpote quæ plurima ex illo luci expoſuerit publicæ; ejus copiam nactus, ut ipſe perhibet, Anno 1686. per LAURENTIUM SCHULTIUM, qui tum Ralambiorum juvenum ſtudia moderabatur. Primum editæ ſunt duæ orationes ARISTIDIS, antiqui Rhetoris, quas pro anecdotis

habuit

habuit vir summus, donec ab ELIA OBRECHTO intellexisset CAMERARIUM anno 1535. Hagenoæ olim eas evulgasse: sed & altera vice Basileæ, inter reliqua ejusdem auctoris opera, Latine redditas studio G. CANTERI, Anno 1566 prodiisse æque ignoravit. Quam hallucinationem quantum Camerarianam editionem attinet, præfatiuncula operi postmodum adjuncta, ipsemet indicavit. Hoc si animadvertisset Doct. JEBBIUS, Aristideorum editor perindustrius, notula præfationi suæ subjuncta certe supersedisset, qua NORRMANNUM eo nomine castigavit. Per disputationes namque publice defensas, hos labores emisit B. NORRMANNUS Anno 1687 & 1688. consummatoque opere, cum ad justi libelli molem crevissent, titulum adjecit tam orationum quam librorum de *Loquendi genere*, pari cura a se evulgatorum, quo verso foliolo præfatiuncula hæc legi potest;

potest, eo tantum scripta consilio; ut indicet auctor, quo errore orationum istarum primum editorem, rotundis adeo verbis, superiori anno se venditasset. Sed est etjam duplex hujus præfatiunculæ editio. Prior locupletior, qua typographos monet ne, se inscio, Aristideos ejus labores recudant, atque simul rogat, ut veteris interpretationis Alexandri & Menandri Rhetorum sibi copiam faciant, una cum Meursii in Menandrum curis, quas adhuc ἐν παραβύςῳ τινὶ alicubi delitescere existimat. Altera dimidiam partem ab hac amputata est. Utut sit, tam versionem Latinam, quam observationes Doct. NORRMANNI plurimum otii subministrasse Eruditissimo SAMUELI JEBB Anglo, in eleganti Aristideorum editione adornanda, egregie monstravit Amplissimus ANDREAS NORRELIUS Upsaliensis Bibliothecarius, qui pro illa, qua in Græcis pollet insigni do-

doctrina, de manibus summi polyhistoris, his observationibus, ipsius vitæ, quam consignavit, insertis, bene mereri voluit. Cæterum præter orationes has, etjam Aristidis τεχνῶν Ῥητορικῶν libros duos, ex veteri Aldina editione Anni 1508 NORRMANNUS noster emisit, sua interpretatione & observationibus illustratos. Servat adhuc, in memoriam immortalis viri, illud ipsum libri hujus rarissimi exemplum bibliotheca nostra, manu ejus ornatum, ex quo illam editionem paravit. Ubi obiter observamus, Celeberrimum NORRELIUM in vita NORRMANNI, a collectoribus Actorum Lipsiensium 41), qui idem narrant, deceptum, affirmare Aldinam hanc editionem, unicam ante Norrmannianam fuisse, cum Argentorati, subjunctus HERMOGENIS arti

41) Act. Erud. Lips. A. 1689. p. 585. Conf. Celeb. NORRELII vitam NORRMANNI, sæpius citatam p. XIX.

arti Rhetoricæ Græce, anno 1556. cura RICHELIORUM, uterque hic liber prodierit 42).

§. XXV.

42) Recensebimus Aristidis editiones, quas nostra possidet Bibliotheca, ut vel unico illo exemplo adpareat, quam dives optimarum editionum illa sit.

1508. Romæ apud Aldum patrem, inter XII. Rhetores alios, liber de genere dicendi Græce fol. editio prima & rara.

1517. Orationes Aristidis, præter duas a Norrmanno postmodum editas. Græce ap. Phil. Juntam. fol.

1556. Libb. II. de genere dicendi, una cum Hermogenis arte Rhet. & Demetr. Phal. L. de Eloq. Græce a fol. 72. ad fol. 243. Argentorati per Richelios fratres in 8. vo. Editio ignota Doct. Fabricio in Bibl. Græca.

1566. Orationes Aristidis Latine per G. Canterum Voll. III. Basileæ per Petrum Perna. Octavo. Comparet T. III. p. 562. oratio ad Achillem & de ineptiis Sophist.

1577. Inter Epist. Orat. & Poëm. ex variis Auctoribus, prodierunt tres oratio-

§. XXV.

Ex eodem hoc codice THEODULI MONACHI f. THOMÆ MAGISTRI *Laudationem* GREGORII *Theologi*, *Nazianzeni*, *cum ejusdem orationibus quatuor & Epistolis octo*, primus Græce & Latine edidit laudatus NORRMANNUS Ubi tamen, unde illa derivaverit, non indicavit. Occurrit autem laudatio GREGORII, codicis nostri

I p. 317.

rationes ARISTIDIS a. p. 135. ad p. 157. Græce Parisiis per HENR. STEPH. Octavo, quas non obs. Doct. FABR.

1604. Orationes Græce & Latine, interpr. G. CANTERO Vol. III. Genevæ. Octavo.

1688. Lib. de genere dicendi & Epistolæ 1. Ad Achillem. 2. de ineptiis Sophist. cum interp. & obs. LAUR. NORRMANNI Ups. 8:vo.

1722. Opera Aristidis cum notis & Obs. eruditorum, cura SAMUELIS JEBB. Oxoniæ e theatr. Sheld. Vol. II. Quarto.

p. 317. quam ſequuntur quatuor orationes, p. 381. & 387. atque demum octo epiſtolæ pagg. 389. 391. 392. 394 395. Quin THOMÆ etjam Eclogas, ſuis caſtigationibus ornatas, emendatius, ex M. VASCOSANI editione, evulgare decreverat, ad cujus marginem varia obſervaverat, quæ Rev. BENZELIUS ſua manu deſcripta, Doct. WOLFIO Hamburgenſi transmiſit, ut ſuis in eundem auctorem curis adderet; ubi, poſt WOLFII, ſummi polyhiſtoris fata, jam deliteſcunt.

§. XXVI.

Centum & quinquaginta quatuor epiſtolas LIBANII Sophiſtæ, a LECAPENO, Grammatico olim apud Græcos celebri, collectas, & huc usque ineditas, iſte codex continet. Quas ſingulas ſvaſu B. NORRMANNI, Anno 1691 latinas fecit ANDREAS PALMROOT, qui Rev. BENZELIO in Bibliothecarii mu-

nere

nere fucceffit. Quem laborem periiffe valde dolemus, cum magni NORRMANNI quondam commenfalis & difcipulus auctor fuerit, atque ea apud illum imbiberit Græcæ eruditionis fundamenta, ut aliquid confummati ab ejus manu Orbis eruditus merito fibi polliceri potuerit. Viginti harum epiftolarum, magni parentis haud degener filius, Dominus M. CAROLUS CASPARUS BENZELIUS, cum latina interpretatione & obfervationibus, Londini Scanorum, Academico fpecimine, primus luci expofuit Anno 1735. atque ad Celeb. WOLFIUM, cujus nitidiffima Libanianorum editio, tum Amftelædamenfia præla exercebat, transmifit: unde in addendis crebram noftri codicis mentionem Vir Summus injecit, cujus etiam notitia per Rev. D. GEORGIUM WALLINUM ad ipfum pervenerat, ut præfamine editor indicavit. Verum priusquam LIBA-

NIUM mittamus, obſervatu forte injucundum non erit, quod vita hujus Sophiſtæ ab EUNAPIO ſcripta, quæ ſæpius ex JOH. SAMBUCI bibliotheca prodiit, ex hoc Rålambiano codice, ubi p. 75. verſa occurrit, plurimis in locis emendari & ſuppleri poſſit. In quo certe non minimum levaminis habuiſſet Doct. FABRICIUS, ſi, quam meditabatur, novam EUNAPII ἔκδοσιν, ipſi, per intervenientem mortem, præſtare licuiſſet.

§. XXVII.

Epiſtolas duas JOHANNIS a LAUNHA ſ. Lemovicenſis, & lacunam inſignem Epiſtolæ XVIII. quam deſideravit JOHANNES ALBERTUS FABRICIUS, cum inter Pſeudepigrapha Veteris teſtamenti, Tomo primo p. 441. opus hujus Auctoris, *Morale Somnium Pharaonis* inſcriptum, ederet, ex noſtra bibliotheca reſtituit atque ſupplevit

Anno

Anno 1721. Rev. BENZELIUS, ut ipſemet ad calcem ſomnii hujus in Fabriciano opere, manu addita notula, indicavit. Fatetur idem laudatus FABRICIUS, qui ſupplementa hæc ſibi communicata, tomo quarto Bibliothecæ Latinæ a p. 260. ad p. 273. inſeruit.

§. XXVIII.

Inter alia medii ævi Scripta adeſt n. LXXXVIII. codex membranaceus, chronicon vetus rerum HENRICI tertii Imperatoris continens. Auctor nomen ſuum initio profitetur, atque BENZONEM Albenſem Epiſcopum ſe appellat. Plurima vero ſunt quæ ſuadeant, ipſius Auctoris antiquiſſimi hoc eſſe *ἰδιόγραφον*. Nam ſtilus certe eſt ejus Seculi & Itala manus. Schedulæ præterea, quæ paſſim operi inſertæ ſunt, idem loqui videntur. Apud illos vero, qui manuſcriptorum codicum catalogos condiderunt, de Ben-

zoniano hoc labore altum eſt ſilentium. Neque UGELLUS, in Italia ſacra, inter Albæ Epiſcopos BENZONIS cujusdam meminit. Reticet etiam BARONIUS, cum Henricianæ hæreſeos propugnatores in ſcenam producit. Quantum autem ex hoc opere intelligi poteſt, fuit ex illis epiſcopis, quos, propria auctoritate & invito clero, HENRICUS creavit: quod cum ſæpius feciſſe, atque eo in publicum ſubditorum incurriſſe odium, docent annales. Hinc certe BENZO libro ſeptimo, ubi de laborum ſuorum præmio loquitur, dicit ſe Epiſcopum eſſe ſine epiſcopatu, atque petit, ut in collata dignitate illum, propter præſtitam fidem, Imperator confirmet. Nam ſtrenuus ſemper ſtetit ab HENRICI partibus, inde clero Pontificique exoſus. Satyrico & obſcuro ſtilo utitur BENZO, ex verſibus & rhythmis præcipuam laudem quærens. Multa tamen affert, quæ mire

illius

illius ævi hiſtoriam illuſtrant, quæque non niſi ex hoc fonte hauriri poſſunt. Exſcripſit codicem Clar. HEUBELIUS Kilonienſis Profeſſor, dum Anno 1721. Upſaliæ viveret. Aſt cum editionem ab illo promiſſam, fruſtra multo tempore expectaſſet Rev. BENZELIUS, Doct. MENCKENIO miſit, qui Anno 1728. ſcriptoribus rerum Germanicarum, rariſſimum hoc cimelium, extemporaneis animadverſionibus JAC. AUGUSTI FRANCKENSTEINII illuſtratum, adjunxit. Tribus vero annis ab hac editione, *Heubelianum* illum codicem nactus JOH. PETRI de LUDWIG, cujus reliquiæ manuſcriptorum tum ſub prælis ſudabant, Benzonem, tomo operis nono, deformem plane & mutilum exhibuit; atque ſe primum in lucem protraxiſſe fruſtra gloriatus eſt. Qui idem eo etiam nomine ſummo jure, ab OLIVARIO, in præfatione ad libellum de vita & ſcriptis PAULI E-

LIÆ

LIÆ, Hafniæ his annis editum, perſtringitur, quod auctorem Italum inepte plane ſcriptoribus Danis adnumerarit.

§. XXIX.

Plurima ſeptentrionis monumenta, ex variis Bibliothecæ Upſalienſis codicibus, edidit B. BENZELIUS. Prodierunt A. 1708. Upſaliæ, *Monumenta Hiſtorica Veteris Eccleſiæ Suio-Gothicæ*, quæ ex Vazſtenenſibus reliquiis, qua fuit in his rebus ſagacitate, Vir ſummus eruit. Præmiſit Academicis diſſertationibus prolegomena, quibus ita monumentorum editorum rationes expoſuit, ut plurima pariter, hiſtoriam tam civilem quam eccleſiaſticam & literariam abunde illuſtrantia, contineant. Neque minoris momenti eſt Vazſtenenſe Diarium, ab ipſis initiis monaſterii ad ejus deſtructionem, quod idem vir, ex codice antiquo membranaceo, quo Parens meus Cariſſ. bibliothecam publicam auxit, luci, Anno

no 1721. exposuit. Promisit suo jam tempore, diarii hujus editionem JOHANNES MESSENIUS in specula, cujus tamen jacturam parum certe dolemus, postquam hanc nobis dederit vir de literis & nostra bibliotheca immortaliter meritus. Occurrunt in hoc Chronico multa, occasione itinerum a Vazstenensibus cœnobitis, variis terrarum tractibus factorum, quæ res exterorum non minus quam nostras attingunt. Atque est ideo inter præcipua istius ævi monumenta reponendum, quod præter plurima gesta regum Sueciæ, annos etjam consecrationis & obitus episcoporum veterum indicet: ut usum insignem prætercam, quem in genealogiis patriæ explicandis præstat, Messenianas Ornevingianasque tabulas sæpius emendando. His porro adjungimus *Catalogum Archi-Episcoporum & Regum Sueciæ*, item *chronicon incerti Scriptoris Sueci*, quæ scripta edidit Parens meus Carissimus;

mus; atque Ecclesiastica illa insulæ Landt-Rügen, Sueticæ ditionis, ex codice antiquo membranaceo exscripta, quæ Rev. GEORGIUS WALLINUS in Actis Literariis Upsaliensibus Anni 1724. p. 573. & 582. evulgavit.

§. XXX.

Codices, ex quibus MAURICII artem militarem & ARRIANI Tactica primus, cum Latina interpretatione, edidit JOANNES SCHEFFERUS Upsaliæ apud CURIONEM, inter alia plurima ex bibliotheca summi hujus viri accepimus. Estque Mauricius chartaceus in folio, quem ex duobus Barberinis codicibus, Mediceo item & Farnesiano, summa cura exscripsit LUCAS HOLSTENIUS, atque, jussu Christinæ, ad SCHEFFERUM misit, ut Latinum redderet. ARRIANO Laud. SCHEFFERUM donavit BIGOTIUS, postquam intellexisset eum in vertendo MAURICIO, ejusdem argumen-

gumen-

gumenti libro, occupari. Cæterum recentiorem horum auctorum editionem, quæ ex Upsaliensi expressa sit, cum adhuc non viderim, dicere certe nequeo, an aliquid novi præter iconismos nonnullos editor BLANCARDUS addiderit.

§. XXXI.

Prodierunt singula jam recensita ex Upsaliensi bibliotheca; unde patet illam haud vulgarem usum orbi erudito peperisse. Græca plurima adhuc recondit, quæ luminis auras expectant, sed quorum enumeratione jam supersedemus. Prius vero quam finiamus brevem hanc commentatiunculam, memoranda nobis est rarissima Meccæ Urbis geographica mappa, quæ hic reperitur Attulit hanc ab oriente B. MICHAEL ENEMANNUS, Linguarum Orientalium ad Upsaliensem Academiam Professor celebris, a quo D. RELANDUS,

DUS, urbis hujus & templi, per totum orbem notissimi, delineationem, in occidente prius vix visam, accepit.

Nous devons, ait Comes de BOULAINVILLIERS 43) in vita" Muhamedis, a la recherche & aux" soins d' un Ecclesiastique Suedois," qui a voyagé longtems en Egypte," la description particuliere de ce" Temple fameux, dont aucun Chré-" tien n' avoit jamais aproché, la" quelle a eté depuis quelques an-" nées rendue publique par le cele-" bre Reland & traduite depuis en" François, avec un plan represen-" tatif. "Et ad finem relationis: Tel-" le est la description, que Reland" nous

43) P. 59. citante auctore Operis *Ceremonies & coutumes Religieuses, de tous les Peuples du monde. Amst. 1737.* fol. Tomo V. p. 70. Sane *M. Guedeville* Mappam quam Atlanti Historico inseruit T. V. p. 46. ex eadem hac nostra desumsit.

nous a donnée d'un lieu, du quel "
jamais aucun Chretien n' a eu la "
hardiesse de s' aprocher: description, "
que les Arabes ni les Turcs ne "
sont pas capables de faire eux-me- "
mes, vu l' extreme negligence, qu'ils "
professent pour tous les arts agrea- "
bles, entre autres pour la peintu- "
re & le dessein: mais qu'un Sue- "
dois habile a recueillie des entre- "
tiens qu' il a eus sur ce sujet avec "
differens Pelerins, pendant un long "
sejour qu'il a fait en la ville du Caire. "

Neque reticendum est pretiosissimum technophylacium, quod Augustæ Vindelicorum GUSTAVUS ADOLPHUS A. 1632 accepit. In Sveciam postquam illud pervenisset, multo tempore in arcibus Regiis, Stockholmiensi, Swartsiöensi, Upsaliensi fuit, donec Anno 1692, Bibliothecæ nostræ, regia munificentia, datum, ad illum in septentrionali atrio locum, quem hodie ornat, Anno 1694 transportaretur.

To-

Totum ex ebeno & cupresso, summa arte, constructum & gemmis lapidibusque pretiosis ita ornatum est, ut nitore spectantium oculos in se plane rapiat. Inter præcipua vero quæ recondit artis & naturæ opera, est lapis ex Chalcedonio & Achate mixtus, uniusque ulnæ a quocunque latere magnitudinis; cujus una parte Israelitarum innoxius per rubrum mare transitus, atque PHARAONIS fata, altera vero extremum judicium, pulcre picta sunt: ubi inter cœlites seipsum etiam, ad pedes Romani Pontificis jacentem, JOHANNEM KÖNIG, tabulæ auctorem conspicias.

§. XXXII.

Recensitis præcipuis Bibliothecæ Upsaliensis fatis, proximum est, ut brevem etjam indicem exhibeamus Virorum doctissimorum, qui ad illam Bibliothecarii fuerunt. Quantum ex actis præterlapsi temporis colligi potest, gesserunt hoc

mu-

munus Anno 1627. M. NICOLAUS MYLIANDER & M. ENSTADIUS, qui cujates fuerint, investigare non potuimus. Certum est, ENSTADIUM Bibliothecam A. 1627. d. 17. mensis Octobris deseruisse, atque Professores ab eo tempore, ad annum usque 1638. ejus inspectionem inter se partitos fuisse. Tum autem Illustrissimo Cancellario visum fuit, curam novi & ardui operis uni commendare, qui ab aliis vacuus studiis in id totus incumberet, ut libri, in ordinem digesti, indicibus & catalogis rite mandarentur. Hoc igitur anno Bibliothecarius constituebatur, dato juramento & obside, M. LAURENTIUS TOLFSTADIUS, Academiæ antea Notarius; qui sequenti anno, munus illud cum adjunctura in Theologica facultate commutavit. Hunc ordine exceperunt;

CHRISTIERNUS ALZINIUS,

A. 1639. d. 4. dec. poſtmodum Enecopenſis Scholæ Rector.

HAQUINUS ANDREÆ Upſalienſis A. 1641. d. 15 Julii.

JOHANNES LOCCENIUS Holſatus, natus A. 1598. d. 13. Martii. Juris doctor creatus Lugduni Batavorum A. 1625. Eodem anno Upſaliam vocatus extraordinariam hiſtoriarum profeſſionem adiit, biennio poſt ordinaria auctus. Mortuo SIMONIO Skyttianus, & A. 1634. Juris profeſſor Regius creatus, A. 1648. d. 13 Julii Bibliothecæ præficitur, cujus catalogos primus confecit typisque paravit. Huic officio Hiſtoriographi Regii munus A. 1652. adjunxit. Juris patrii profeſſionem honorariam A. 1666 accepit. Præſes Regii Antiquitatum collegii A. 1672. conſtitutus diem obiit A. 1677. d. 27 Julii.

JOANNES SCHEFFERUS Argentorati natus A. 1621. d. 2. Febr.

Febr. FREINSHEMIO ad Bibliothecam Reginæ Christinæ vocato, A. 1647. Skyttianus Ordinarius & honorarius Professor Regius, item A. 1666. Regii Antiquitatum collegii Assessor, atque A. 1677. d. 13. Nov. Bibliothecarius Upf. constituitur. Mortuus 1679. d. 26. Martii.

OLAVUS VERELIUS Ostrogothus. Natus A. 1618. Studuit Lincopiæ, Dorpati, Upsaliæ. Peregre profectus est A. 1638. Adiit Galliam, Germaniam, Belgium, Romam. Patriæ redditus A. 1651. Eloquentiæ Professor Dorpatensis, mox Quæstor Academiæ Upf. constitutus est. Antiquitates patrias A. 1663. publice docere cœpit. Regni Antiquarius A. 1666. atque Assessor Reg. Coll. Antiquitatum constituitur. Tandem laboribus & canitie venerabilis, A. 1679. d. 29. Apr. Bibliothecæ Upsaliensis curam suscipit. Decessit A. 1682. d. 3. Jan.

HENRICUS SCHYTS Stockholmiensis. Natus A. 1647. Studuit Upsaliæ, ubi etjam honores magisterii A. 1672 adeptus est. Sequenti anno iter ad exteros ingreditur, atque, visa Dania, Germania, Hungaria, Bohemia, Tubingam se confert, ubi Professoris extraordinarii in Theologia provincia ipsi, a duce Wurtemburgico, oblata est. Ille vero A. 1678 in patriam properavit; eandemq; spartam, ad Ups. Acad. a Serenissimo Rege clementissime demandatam, adiit. A. 1628. d. 7. Jan. Bibliothecarius Upsaliensis factus est; cui præfuit in A. 1687. quo Rev. ERICO BENZELIO Seniori, Stregnensi Episcopo tum constituto, in munere successit. Tandem Theol. Doctor & Archipræpositus Upsaliensis mortuus est A. 1693. d. 2. Sept.

CLAUDIUS ARRHENIUS OERNHIELM, Ostro-Gothus. Natus A. 1627. d. 22. Dec. Studuit Lin-

Lincopiæ & Upſaliæ. Adiit Germaniam, Galliam, Hiſpaniam, Italiam, Angliam, Belgium, Daniam. Rediens A. 1668. Logices & Metaphyſices, paulo poſt Hiſtoriarum Profeſſor Upſalienſis, conſtituitur. Bibliothecæ curam A. 1687. d. 30. Apr. accepit. Poſt biennium Cenſor Librorum & Hiſtoriographus Regius factus eſt. Nobilitatis inſignia adeptus eſt, quæ ad paucos tantum nepotes transmiſit, mortuus An. 1695.

NICOLAUS WOLF STIERNBERG Weſtmannus. Natus A. 1641. Studuit Upſaliæ. Peregre profectus eſt A. 1662. Profeſſor Philoſophiæ Theoreticæ ad Acad. Carolinam, quæ Londini Scanorum eſt, A. 1670. atque A. 1679. d. 13. Sept. Ethices & Polit. Prof. Upſalienſis, tandemque A. 1689. d. 4. Martii, Bibliothecarius conſti-

ſtituitur. Nobilitatis inſignibus ornatus obiit A. 1694. d.6. Nov.

ELIAS OBRECHT Argentoratenſis. Poſtquam ſedecim annos Prof. Upſ. Regius & Skyttianus fuiſſet, Bibliothecarum Sueciæ publicarum Inſpector, & Upſalienſis Bibliothecæ Præfectus A. 1694. d. 23 Nov. conſtituitur, tandemque, honorifico ad Cancellariam Regiam muneri admotus, moritur A. 1698. d. 16. Jan.

LAURENTIUS NORRMANNUS Recarlojedrenſis Sudermannus. Natus A. 1651 d. 24 Apr. Studuit Upſaliæ. A. 1679. prima vice exteras terras inviſit. In patriam redux A. 1680. Bibliothecæ Delagardianæ præfuit, titulo Profeſſoris Extraordinarii, usque dum Aſſeſſor Collegii Antiquitatum A. 1682. atque paulo poſt Londini Scanorum Profeſſor L. L. O. O. conſtitueretur. A. 1685. Upſaliam migravit, ubi Græcas

eas literas docuit. A:o 1694. locum in theologica facultate occupavit. Eodem anno secunda vice, ad exteras gentes properavit, mox rediens. Tertia vice A. 1696. idem inter ingreditur, sequente anno Upsaliensibus redditus. A. 1698. d. 13. Febr. Bibliothecarius Upsaliensis, atque A. 1702 Archipræpositus Ups. tandemque Episcopus Gothoburgensis constitutus est. Mortuus A. 1703 d. 21. Maii.

ERICUS BENZELIUS Erici filius, Upsaliensis. Natus A. 1675. Studuit Upsaliæ. Salutata Germania, Gallia, Anglia, in patriam revertitur. A. 1702 d. 30. Aug. Bibliothecæ Upsaliensi præficitur. Quod munus viginti duo annis, magno Bibliothecæ incremento, gessit. A. 1724. Theologiæ Professor, postea Gothoburgensis, mox Lincopensis Episcopus, tandem Upsaliensis Archiepiscopus

pus

pus constitutus est. Septuagenarius decessit A. 1743.

ANDREAS PALMROOT Westmannus. A. 1701. Academiæ Pernaviensis Professor Moralium, Upsaliensis vero Bibliothecarius, A. 1724. d. 31. Aug. E vita migravit A. 1725.

GEORGIUS WALLIN natus Gevaliæ, parente Pastore tunc temporis urbis, postmodum Episcopo Hernosandensium, D. GEORGIO WALLIN. Studuit Upsaliæ. Deposito A. 1706. Academico specimine de *Iuvenca Rufa*, præcipuas Europæ terras invisit. Regio diplomate Lector Theologiæ, ad Gymnasium Hernosandense constitutus in patriam revertitur. Post aliquot annorum intercapedinem, postquam primarium inter Theologos Hernosandenses locum occupasset, exteros revisit. S. S. Theologiæ Doctor in Academia Wittenbergensi A. 1723

re-

renunciatus eſt. Redux Concionatoris Aulici honorificum munus aggreditur. Academiæ Upſalienſis Bibliothecarius A. 1726. d. 5. Mart. conſtitutus eſt, ſimulque Quintum, inter theologos Upſalienſes locum implevit. A. 1735. Superintendens Gothlandiæ, nuper Epiſcopus Gothoburgenſis creatus eſt.

ANDREAS NORRELIUS Salamontanus. Depoſitis ad Academiam Upſalienſem elegantiorum literarum rudimentis, laurea Philoſ. A. 1710. decoratus eſt. Docendi veniam ad eandem Academiam A. 1713. accepit. Ab A. 1714. ad A. 1720. apud exteros vixit. In patriam redux Adjunctus Philoſ. atque A. 1723. Secretarius, A. 1729. Vice-Bibliothecarius & A. 1735. d. 26. Aug. Bibliothecarius Upſalienſis conſtitutus eſt.

VICE-BIBLIOTHECARII fuere

CAROLUS PETRI

OLA-

OLAVUS NEZELIUS regio dipl. A. 1676 d. 14 Junii.

HARALDUS VALLERIUS.

JOHAN. ENBERG Regio dipl. A. 1690. d. 17. Oct.

JOHANNES BRAUNER Regio dipl. A. 1704 d. 12. Apr.

JOHANNES MALMSTRÖM Regio dipl. A. 1706. d. 2 Nov.

MATTHIAS AsP illustr. Canc. diplom. A. 1722 d. 10. Martii.

ANDREAS NORRELIUS Illustr. Cancell. dipl. A. 1729 d. 2. Aug.

JOHANNES IHRE illustr. Canc. dipl. A. 1725 d. 1. Sept.

OL. ABR. BURMAN Illustr. Can. dipl A. 1737. d. 18. Maji.


OL. CELSIUS Filius, Illustr. Cancell. dipl. A. 1744. d. 3. Apr.

§. XXXIII.

Hic ortus, hæc fata sunt Upsaliensis Bibliothecæ, sive librorum numerum sive ornatum spectes, nulli Europæarum secundæ. Accipit indies nova incrementa: in patria, li-

bros

bros qui emittuntur, mandato regio ſæpius repetito, typographi illi relinquunt; qui vero alibi terrarum lucem aſpiciunt, proprio ære ſibi comparat. Eſt enim certus pecuniarum proventus, ipſo ſtatim Bibliothecæ initio, ejus uſibus deſignatus. Nitide compinguntur libri, ornanturque ſymbolo OSYMANDVÆ, primi Bibliothecarum fundatorisI,ΑΤΡΕΙΟΝ ΨΥΧΗΣ, quæ verba ad introitum Alexandrinæ Bibliothecæ olim ſcripſerat. Cæterum floreat ſacra hæc domus, auguſtum hoc eruditionis ſacrarium, atque Regum Sueogothicorum delicium, in Athenæi Upſalienſis, immo Septentrionis perenne ornamentum, a quovis infauſto caſu immune!



EMENDANDA.

P. 10. l. 24. T. VIII. leg. VII. p. 100. l. 16. Christ. secundi leg. tertii. p. 114. l. 18. adquisiverimns, leg. adquisiverimus. p. 142. l. 15. seipsum leg. ipsum. p. 153. l. 11. Ι,ΑΤΡΕΙΟΝ leg. ΙΑΤΡΕΙΟΝ.



